Digitized by Google

DIALOGI SEX, DE AVGV-STISSIMO CORPO-RIS ET SANGVINIS CHRISTI SACRAMENTO; AC MISSÆ SACRIFICIO, IN QVIBVS

breuiter & amice præcipuæ de hoc, argumento controuerſiæ diſcutiuntur.

AVCTORE SEBASTIANO Heiſſio Societatis IESV.



MONACHII,
Ex Typographio Nicolai Henrici.

M. DC. V.

Digitized by Google

Digitized by Google

DIALOGI SEX,
DE AVGV-
STISSIMO CORPO-
RIS ET SANGVINIS
CHRISTI SACRAMENTO; AC
MISSÆ SACRIFICIO, IN QVIBVS

breuiter & amice præcipuæ de hoc,
argumento controuerſiæ
diſcutiuntur.

AVCTORE SEBASTIANO
Heiſſio Societatis IESV.

MONACHII,
Ex Typographio Nicolai Henrici.

M. DC. V.

Digitized by Google

REVEREN-
DISSIMO, ET ILLV-
STRISSIMO S. R. IMPERII
PRINCIPI AC DOMINO, DOMI-
NO BERNARDO, MONASTERII
S. Galli Abbati religio-
ſiſſimo, &c.

SEBASTIANVS HEISSIVS
Societatis IESV *gratiam à* DEO,
& felicitatem.

A Magno Athanaſio in epiſtola de Synodi Nicænæ decretis, Reuerendiſſime & Illuſtriſſime Princeps, hæretici camæleonti comparantur; ob varium ſcilicet & verſipellem eorum animum. Neq; enim tanto ſtudent opere, vt vera & inter ſe conſentientia dicant, quam ne veritati, quam oderunt, cedere videantur. Quid noſtri æui ſectarij toties inculcarunt, quam S. Scripturam per ſe claram, eamq; ſolam ab omnibus audiendam eſſe? Sed mentita eſt iniquitas ſibi. *Pſal. 26. nam ſæpius vel ex apertiſſimis ſacrarum literarum*

teſtimo-

teſtimonijs erroris conuinci queunt; num ſcripturis obediunt? immo mendoſas arguunt; vel à plano, obuio, receptoq́ ſenſu auditum auertentes ad figuras, dictiones improprias, vere fabulas conuertuntur, lucemq́ in meridie tortis interpretamentis obtenebrant. Fraudis huius inſigne relinquunt exemplum, qui in ſacratiſſima Chriſti menſa nos non ipſa eius carne & ſanguine, ſed horum ſignis, figuris, & quaſi picturis refici contendunt. Quid ſignificantius, quam, HOC EST CORPVS MEVM: HIC EST SANGVIS MEVS. Nec æque clara, nedum clariora pro ſe illi vnquam afferent, niſi legant; Hoc non eſt corpus meum; Hic non eſt ſanguis meus; quod nunquam ſcriptum, nunquam creditum eſt. Profecto non Diuinæ Scripturæ auctoritas eos in errorem induxit; ſed ideo credere non poſſunt, quia Deo ſe ſubijcere nolunt; eiuſq́ opera curioſe nimis rimari non verentur. Non credimus quidem, quæ recta ratio tanquam erroris manifeſta reſpuit; plura tamen fide certiſſima tenemus, quæ plene ſeu euidenter non cognoſcimus; ſed ex parte, vt loquitur Apoſtolus; atque vt idem hortatur,

tur, intellectum noſtrum in fidei obedientiam captiuamus. Nec crediderunt olim Ariani & Eunomiani Filium Dei eiuſdem cum Patre eſſe ſubſtantiæ; & in perfidiæ ſocietatem trahebant plurimos captioſis interrogatiunculis, & petitis è rerum inferiorum naturâ argumentis ſeductos. Si ab eadem Patris perſona procedat Filius, & Spiritus Sanctus; eos eſſe fratres conficit Arianus, cuius, apud S. Athanaſium dialogo 1. de SS. Trinitate, verba ſunt. Quomodo & Filius eſt ex hypoſtaſi, & Spiritus, neq; tamen ſunt duo fratres? *Et in 2. dialogo, vt Filium non ab æterno genitum eſſe perſuadeat Arianus, rogat:* an non tu ex patre tuo, & patre poſterior es? *Eunomij, vt S. Baſilius lib. 2. aduerſus eum ſcripto refert, ſophiſma erat*: Deus filium genuit, aut quum iam eſſet, aut quum non eſſet: ſi filium, qui non erat; nemo me audaciæ accuſet, *quod ab æterno eſſe negem*: ſin vero genitum dicas eum, qui iam eſſet, redundat hæc oratio non tantũ ineptijs, & blaſphemia, ſed ſumma quoque ſtoliditate, nec enim ei, qui iam ſit, generatione

tione opus eſt. *En impio fidei iugum excutienti ſummum Religionis ſacramentum eſt blaſphemia, & delirium. Ex hominibus enim* quoniam qui hodie genitus eſt, heri non exiſtebat, hanc cogitationem ad Vnigeniti ſubſiſtentiam traducit; *inquit S. Baſilius. Simillime ex iis, quæ in ſenſus noſtros incurrunt, argutantur hodie, qui ſepultam Berengarij hæreſin ab orco reuocant. Quomodo ſciſcitantur, Chriſtus deſcendit in panem? quomodo in tam diſſitis locis præſens eſt? quia ſinguli vni tantum loco adſumus; nec in alio ſiſtimur, niſi priorẽ relinquamus. Memini quæ S. Auguſtinus libr. 3. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 8, ad Pelagianorum quæſtiunculas exclamat:* En vnde plerunque conualeſcit error, cum homines idonei ſunt his rebus interrogandis, quibus intelligendis non ſunt idonei. Quomodo intelligat homo, cuius tardiuſculam mentem impedit & ſuæ ſententiæ præiudicium, & peruicaciæ grauiſſimæ vinculum. *Impediunt hæc ipſa noſtro tempore multos, ne credant, quibus tanquam ſurdis loquimnr; non deſunt tamen*

 mode-

modeſtiores, nec tam pertinaces & proterui, in quorum gratiam congeſſi, quæ contra Orthodoxam de SS. Eucharistia ſententiam ab aduerſariis tum litteratis, tum rudioribus potiſſimum opponi animaduerti. Non profiteor me ſecretiſſima fidei myſteria ita recluſurum, vt rerum ſenſibilium inſtar euidenter pateant; ſed viam monſtro, qua homo, vt propheta loquitur, Pſ.63. aſcendat ad cor altum; nec Dei magnalia rerum fluxarum pede metiatur. Actum videbor agere, qui poſt tot editas de hac materia elucubrationes ſcribere aggredior; ſed non decet, vt tenebrarum filÿs cedant filÿ lucis: repetunt illi, & toties recoquunt, quibus animas venenant; & nobis moleſtum accidat contra venena reparare remedia? vt omittam fere à pluribus, & diligentius legi, quæ recens ſcribuntur, quam quæ olim edita inſtar depoſiti aſſeruantur. Sed neque omnia, *vt ait S. Auguſtinus lib. 1. de Trinitate cap.3.* quæ ab omnibus conſcribuntur, in omnium manus veniunt: ideoq́ue vtile eſt plures libros à pluribus fieri diuerſo ſtilo, non diuerſa fide, etiam de quæſtionibus eiſdem, vt ad plurimos

mos res ipſa perueniat, ad alios ſic, ad alios autem ſic. *Ego dialogos ſcripſi ductus veterum Doctorum exemplo, qui ſæpius contra infideles & hæreticos hoc ſcribendi genere vſi ſunt; vt S. Iuſtinus martyr, Magnus Athanaſius, Baſilius Magnus, B. Theodoretus, S. Hieronymus, & de hoc ipſo SS. Euchariſtiæ myſterio doctiſſimi Epiſcopi Lanfrancus, & Guitmundus. Tuæ porro Celſitudini, Reuerendiſſime, & Illuſtriſſime Princeps, hos dedicoq́ dialogos; quod vt auderem fecit præclara tua in Deum pietas; in Religione amplificanda ſtudium; in Societatem noſtram beneuolentia. Rudes ſint dialogi, & tua Celſitudine indigni cetera; præſidium tamen & tutelam merebuntur, quia ex pio in Diuini Numinis gloriam affectu, & magno aberrantes à fide iuuandi deſiderio prodeunt. Monachij è Collegio Societatis* IESV, *die S. Auguſtino ſacra, Anno nati Domini M. DC. V.*

AD

AD LECTOREM.

COLLOQVENTES introduco Theodorum & Neopiſtum; nec temere hæc ficta ſunt nomina. Theodorus vocatur, qui veteris, Catholicæ, Romanæ Eccleſiæ fidem profitetur, quæ magnum Dei donum eſt. Neopiſtus (id eſt, recens perſuaſus) compellatur Zuinglii vel Caluini ſectator. nolunt illi quidem Nouatores dici; ſed fruſtra, quum tales eſſe non refugiant. Nouitates ſunt; inquit Vincentius, quæ ſunt vetuſtati, quæ antiquitati contrariæ. Quæ ſi recipiantur, neceſſe eſt, vt fides beatorum Patrũ, aut tota, aut certe magna ex parte violetur: neceſſe eſt, vt omnes omnium ætatum fideles, omnes ſancti, omnes caſti, continentes, Virgines, omnes clerici, Leuitæ & Sacerdotes, tanta Confeſſorum milia, tanti Martyrum exercitus, tanta vrbium, tanta populorum celebritas & multitudo, tot inſulæ, Prouinciæ, Reges Gentes, Regna, Nationes, totus poſtremo iam pene terrarum orbis, per Catholicam fidem Chriſto capiti incorporatus, tanto ſeculorum tractu ignoraſſe, erraſſe, blaſphemaſſe, neſciſſe quid crederet, pronuntietur. Hæc Vincentius Lirinenſis cont. hæreſes, cap. 33.

DIALO-

DIALOGVS PRIMVS, DE VERA ET REALI CHRISTI IN SS. EVCHARISTIÆ SAcramento præſentia.

THEODORVS. NEOPISTVS.

THEODORVS. Quoties in te incido, Neopiſte, cauſa tua doleo, qui mihi alioqui amiciſſimus, Religione à me factus es alienus.

NEOPISTVS. Amaui te Theodore,& adhuc amo; ſed plus amo veritatem.

THEODORVS. O ſi amares; vetuſtæ Eccleſiæ nunquam recens nata Zuinglij, Caluini, Petri Martyris,& ſimilium dogmata anteferres; qui pro corporis & ſanguinis Chriſti veritate nobis nuda ſigna,& vmbras obtrudunt.

NEOPISTVS. Vmbram appellamus vmbram,quid ni? ſacramentum figuram tantum eſſe corporis Chriſti,& Chriſtus ipſe,& Apoſtoli docuerunt; idemq; ceteri purioris Eccleſiæ Patres tenuerunt.

THEODORVS. O nouum Catharum, vel ex Anglia Puritanum! vos ne puros; & Chriſti Eccleſiam ſexcentis erroribus fœdatam credam? ſed mittamus nomina; ad rem veniamus, quam veritatis, & puritatis amans ſis ex ore tuo te arguam, ſi tantiſper moratus fueris.

NEOPISTVS. Loquere quæ vis, ſed caue ſis, ne, quæ nolis, audias.

THEODORVS. Chriſtum ipſum docuiſſe ais ſe figuram tãtũ ſui corporis & ſanguinis nobis dediſſe; nullum verbũ, nullus apex in omnibus Chriſti verbis, vbi ſacramentum hoc appelletur figura corporis; ſed vnanimiter omnes Euangeliſtæ, vt & Paulus Apoſtolus ſcribunt Chriſtum corpus ſuum nobis dediſſe: HOC EST CORPVS MEVM. Matthæ. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Corinth. 11. *Caro mea vere eſt cibus*. Ioan. 6. Non minus aperte de ſanguine ſuo loquitur Dominus.

NEOPISTVS. Nimis ſimpliciter Chriſti verba intelligis; quorum ſenſus eſt: Hæc eſt figura corporis mei.

THEODORVS. Tu ea nimis uafre, & dupliciter accipis; nomen figuræ apponis, quod Chriſtus non appoſuit; de cuius verbis iam tecum ago. HOC EST CORPVS MEVM ait Chriſtus, figuræ nulla mentio.

NEOPISTVS. At ſimiles loquendi modi habẽtur in ſcripturis; vt, *petra autẽ erat Chriſtus*.

THEO-

THEODORVS. Dicitur Chriſtus petra, ſicut & leo, metaphorice; nec ex ſcriptura me reuinceres, ſi negarem ſenſum eſſe, quem intendis; petra erat figura Chriſti: ſed admittam hunc ſenſum; cur me abducis à Chriſti verbis; HOC EST CORPVS MEVM; in quibus verbis ex inſtituto de hoc ſacramento agitur, & ſupponis alia ad rem impertinentia; quæ enim conſecutio eſt; alicubi petra dicitur Chriſtus, quæ figura Chriſti erat; ergo etiam cum in teſtamento ſuo Chriſtus nobis legat proprij corporis & ſanguinis theſaurum, interpretari fas erit de imagine theſauri; & cum Apoſtolus minatur indigne ad ſacram hanc menſam accedenti: *reus erit corporis & ſanguinis Domini, non diiudicans corpus Domini*; 1. *Corinth.* 11. exponemus, reus erit figuræ corporis, non diiudicans corporis Domini figuram. Quid firmũ erit in ſcripturis, ſi à proprio verborũ ſenſu ideo declinare licebit; quia verbis non ſemper proprie vtimur? Manichæus; Verbum caro factum eſt, exponet de figura carnis, quia Gen. 18. Angeli dicuntur viri, qui in forma viri apparebant. Sed nolo progredi; Chriſti verba vrgeo, dic ſine ambagibus, an non vbiq; Chriſtus hoc ſacramentũ dicat corpꝰ ſuũ & ſanguinẽ: HOC EST CORPVS MEVM, CARO MEA, SANGVIS MEVS.

NEOPISTVS. Non loquitur proprie, vt neceſſario admitti debet in nomine calicis; *Hic eſt calix* &c. *qui pro vobis fundetur.*

THEODORVS. Tropus, quo nomen calicis pro re contenta ſumitur, tam vſitatus eſt, vt primæuum nominis ſignificatum æmuletur; quod non accidit in ſignis, quæ rarius rerum quas ſignificant nominibus compellantur, niſi forte ob externam ſimilitudinẽ, qualis inter panem & corpus non eſt: Et quod vnus Euangeliſta cum tropo elocutus eſt, alij ſine tropo dixerunt, *Hic eſt ſanguis.* Sed bene monuiſti de verbis, quæ apud D. Lucam legimus; ea enim clarius errorem tuum arguunt. Calicis nomine intelligitur potus in calice contentus?

NEOPISTVS. Ita eſt.

THEODORVS. Sed de hoc ipſo potu dicitur, qui pro vobis funditur, id eſt, iam jam fundetur.

NEOPISTVS. Refer verba integra, & reſpondebo.

THEODORVS. *Hic eſt calix nouũ teſtamẽtum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur.*

NEOPISTVS. Verba: *Qui pro vobis fundetur*; ad ſanguinem referuntur, non ad calicem.

THEODORVS. Falleris, vt ex græco textu conſtat. τȣ̃το τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵμα-

αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, pro vobis fundendus: in græco eſt participium præſentis temporis in caſu nominandi, quod ſi ad ſanguinem ſpectaret, in datiuo poneretur, & latine per ablatiuum redderetur: in ſanguine pro vobis fundendo.

NEOPISTVS. Quid reſpõdeam mihi quidem non occurrit, ſed ad manus habeo Bezæ commentarios, qui vtiq; hunc nodum ſoluit.

THEODORVS. Legamus Bezam: *Qui pro vobis effunditur: cum hæc verba, ſi conſtructionẽ ſpectamus, neceſſario non ad ſanguinem, ſed ad poculum pertineant; neq; tamen de vino, nedum de poculo intelligi poſſint, aut manifeſtum eſt ſolœcophanes:*

THEODORVS. Apage cum tuo Beza; qui ſolœcophanis nomine Spiritui ſancto ſolœciſmum tribuit; quaſi à Beza Grammaticam diſcere deberet.

NEOPISTVS. Audi alterum, & melius reſponſum: *Aut potius cum hæc eſſent ad marginẽ annotata ex Matthæo & Marco, poſtea in contextum irrepſerunt.* verba Bezæ.

THEODORVS. Itane? veſtra comenta aliter defendere non poteſtis, niſi verba Euangelij expungatis, quæ in omnibus voluminibus Syriacis, Græcis, & Latinis habentur; jam

enim oculis percurri, quæ tuus mox ſubdit Beza: *Hoc etiam legitur apud Syrum interpretẽ, & in omnibus quos inſpeximus Græcis codicibus*, à quibus nec latini diſſident.

NEOPISTVS. Prouoco ad verba apud D. Lucam præcedentia: *Hoc facite in meam cõmemorationem*; ſed memoriã agimus abſentiũ.

THEODORVS. Abſentiſne memor erat, qui dicebat? *Memor fui Dei, & delectatus ſum*. Pſal. 76. dein Chriſtꝰ nõ ſolius præſentiæ ſuæ, ſed ſui pro nobis paſſi requirit memoriam; vt exponit Apoſtolus; *mortem Domini annunciabitis* &c. paſſionis vero Chriſti memoriam, nõ præſentiã habemꝰ; ipſius autẽ corporis nobis dedit ſubſtantiã; audi verba clariſſima, HOC EST CORPVS MEVM, tu clariora pro te profer.

NEOPISTVS. Audi alibi Chriſtum, vbi Capharnaitas vobis ſimiles reprehendens ait; *Caro non prodeſt*. Ioan. 6.

THEODORVS. His tu probas Chriſtum in ſacramento non eſſe? forte nec in cœlo eſſe probaueris ex 1. ad Corinth. 15. *Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt*. Adi S. Chryſoſtomum, & quomodo caro non proſit diſce; ſic enim ſcribit ho. 46. *Non de ſua carne dicit, abſit, ſed de his qui carnaliter accipiunt quæ dicuntur*. Non in hoc errarunt Capharnaitæ, quod Chriſto aſſeueranti; CARO MEA EST, credi-

crediderint; quod carnis nomine veram carnē intellexerint, ſed errarunt in modo, quo eā more ceterarū carniū manducandam apprehenderunt. *Abierūt retro* inquit S. Cyprianus, de cœna Domini, *quia horrendum eis, & nefarium videbatur veſci carne humana, exiſtimantes hoc eo modo dici, vt carnē eius vel elixā, vel aſſam, ſectamq; mēbratim edere docerentur, cū illius perſonæ caro ſi in fruſta partiretur, non omni humano generi poſſit ſufficere.* Et S. Auguſtinus in Pſ. 98. *durū illis viſum eſt, quod ait: niſi quis manducauerit carnem meam, non habebit vitam æternam: acceperunt illud ſtulte; carnaliter illud cogitauerunt; et putauerunt quod præciſurus eſſet Dominus particulas quasdā de corpore ſuo, & daturus illis.*

Neopistvs. Et ſi tam craſſe non erratis vt Capharnaitæ, errori tamen eorum prope eſtis; nos procul abſumus.

Theodorvs. Quia ſolet inter errores ex diametro quaſi diſtantes media eſſe veritas; ab Arij hæreſi magis diſtabat Sabellius, quam fides de SS. Trinitatis myſterio: Similiter à Neſtorio nimium diſceſſit Eutyches; medium tenuere, qui Chriſtum verum Deum & hominem crediderunt. Vos fugiendo Capharnaitas, Chriſti quoq; verba fugitis; nos quod ipſa Veritas dixit & ab Apoſtolis & Euangeliſtis cōſcribi voluit: Hoc Est Corpvs Mevm, integra fide confitemur; fideli-

ter accipimus veram nobis in ipſo ſacramento carnem dari; ſed non ſenſu Capharnaitico; vos nullum niſi mere ſpiritualem carnis toto cælo diſtantis eſum agnoſcitis.

NEOPISTVS. Sic à Chriſto docemur, cũ ait : *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*; nos autem in Chriſto tantum ſpiritualiter ſumus, nec aliter ipſe in nobis eſt.

THEODORVS. Malus es tuæ cauſſæ patronus, quam his ipſis verbis prodis; in quib⁹ tam aperte traditur nos manducare carnem Chriſti: QVI MANDVCAT MEAM CARNEM, non figuram carnis, *in me manet*, *& ego in eo*, id eſt, vnum quid mecum fit; hæc enim vis horum verborum, & hebraicæ phraſis eſt.

NEOPISTVS. Sit ita, ſed Chriſtus loquitur vtiq; de ſpirituali vnione.

THEODORVS. De hac etiam loquitur, ſed aliam non excludit, imo ſupponit; ſpiritualis autem vnio fructus & effectus eſt manducationis, non ipſa manducatio.

NEOPISTVS. Effectus eſt ſpiritualis, ergo etiam manducatio ſpiritualis tantum erit.

THEODORVS. En argumentũ tuo ſimillimũ: præcipuus paſſionis Dominicæ fructus & effectus eſt ſpiritualis, ergo non fuit vera & realis paſſio. *Si exaltatus fuero à terra*, ait Dominus

minus Ioan. 12. *omnia traham ad me ipſum*; tractio hæc eſt ſpiritualis, quam agnoſcis eſſe fructum Chriſti vere & realiter in cruce exaltati; eodem modo ſpiritualis vnio eſt effectus Chriſti vere & realiter manducati, vt confiteri debent, quotquot Chriſti verba: HOC EST CORPVS MEVM; *qui manducat* MEAM CARNEM, non ad ſenſus improprios rapiunt, & diſtorquent. Quin veram manducationem & realem Chriſti nobiſcum coniunctionem ſupponunt illa ipſa verba, ex quibus tu argumentaris; *in me manet, & ego in illo.*

NEOPISTVS. Tu ne realiter es in Chriſti corpore?

THEODORVS. Non ſum, ſicut tu intelligis, quaſi intra corpus Chriſti continear, ſicut ille in noſtra recipitur viſcera; de Chriſto enim nec ſcriptum, nec credendum eſt, quod noſtras carnes comedat; ſicut nos vere ſacram illius carnem comedimus: CARO MEA, inquit, VERE EST CIBVS; aliquo ergo modo Chriſtus in nobis eſt, inſtar cibi, quo modo nos non ſumus in ipſo.

NEOPISTVS. Dic tandem nouum modum, quo realiter in Chriſto ſis.

THEODORVS. Minime nouum, ſed à D. Ioanne ſæpius vſurpatum loquendi modum

intellige; ſecundum quem, vt ante monui, vnum dicitur manere in altero, non quod in illo includatur, ſed quod ei coniungatur, vel aliquo modo vnũ quid ſit: quare cum nos Christo, quoad præſentiã ſeu coexiſtentiam realiter vniamur eo modo, quo alimentum & alitum ſimul ſunt; ex phraſi Euangelij etiam realiter in Chriſto, & vt nos loquimur, cum Chriſto erimus.

Neopistvs. Phraſis S. Ioannis non ſignificat niſi ſpiritualem vnionem aut vnitatem.

Theodorvs. Hanc ſignificat, ſed non tantum; an non hac ipſa phraſi ſuam & Patris in Diuina natura vnitatem explicat Filius? Ioannis 10. *Pater in me eſt, & ego in Patre*; vbi repetit, quod ante dixerat: *Ego & Pater vnum ſumus* non tantum ſpiritualiter, ſed in ipſa ſubſtantia; quam vnitatem imitatur, qui corpus Chriſti ſumit; cum Chriſto vnum quid fit, & vt loquuntur Sancti, vnam quaſi maſſam conſtituit. Hinc D. Chryſoſtomus hom. 83. in Matthæ. *Non ſuffecit ipſi hominẽ fieri, flagellis cadi, & crucifigi, ſed nos ſecum in vnam maſſam reducit, neq; id fide ſolum, ſed re ipſa corpus ſuum efficit.* Luculenter S. Cyrillus lib. 10. in Ioan. cap. 13. *Non negamus recta nos fide, caritateq; ſincera Chriſto ſpiritualiter coniungi; ſed nullam nobis con-*

coniunctionis rationẽ ſecundum carnem cum illo eſſe, id profecto pernegamus, idq; à diuinis ſcripturis omnino alienũ dicimus. An fortaſſis putat (hereticus) *ignotã nobis myſticæ benedictionis virtutem eſſe, quæ cum in nobis fiat, nonne corporaliter quoq; facit communicatione carnis Chriſti Chriſtum in nobis habitare? Vnde conſiderandũ primo eſt, non habitudine ſolũ, quæ per caritatẽ intelligitur, Chriſtum in nobis eſſe, verũ etiã participatione naturali: nam quemadmodũ ſi quis igne liquefactã ceram alij ceræ ſimiliter liquefactæ miſcuerit, vt vnum quid ex vtriſq; factum videatur, ſic communicatione corporis & ſanguinis Chriſti ipſe in nobis eſt, & nos in ipſo.* Hæc D. Cyrillus, cuius tanta in Generali Epheſina Synodo laus eſt. tu alia Chriſti verba excute; ego illa HOC EST CORPVS MEVM, tibi inculcare nõ deſinam.

NEOPISTVS. Ne vos ſequamur præmonuit Dominus Mat. 24. *Si dixerint vobis, Ecce in deſerto eſt Chriſtus, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere.*

THEODORVS. Hoc loco Dominus monet, ne alium Chriſtũ accipiamus, ne pſeudochriſtis & pſeudoprophetis (Luthero, Caluino, Zuinglio) aures demus; minime vetat nos ibi ſui corporis præſentiam credere, vbi ſe adeſſe tam aperte teſtatus eſt, HOC EST CORPVS MEVM. Ad deſertum porro exit, qui vniuerſalem Eccleſiam deſerit; ad penetralia nos vocat,

cat, qui à communi ſanctorum Patrum ſemita auocat. Nos ſponſum ſequimur in Eccleſiæ horto; quem abſit in eremum verti; *abſit, vt roſea illa Catholici ſenſus plantaria in carduos ſpinaſq; vertantur: abſit, inquam, vt in iſto ſpirituali paradiſo de cinnamomi & balſami ſurculis lolium repente atq; aconita proueniant.* Vincent. Lirinenſis cap. 30. de hæreſ.

Neopistvs. Non immerito pro lolio & vicia habeo realem in terris præſentiam, vbi Chriſtum non manſurum dicitur, Matth. 26. Ioan. 16.

Theodorvs. O tardus corde, vt nihil dicam grauius, ad ſcripturas ſane intelligendas; Hoc Est Corpvs Mevm inquit Dominus, vere, ſed ad fidei noſtræ meritum inuiſibiliter carnē ſuam nobis præbens; ſcripturæ autem quas tu allegas, intelliguntur de viſibili præſentia, & conuictu; *pauperes ſemper habebitis vobiscum, me autem non ſemper habebitis*, Matth. 26. in eo ſcilicet ſtatu, in quo mihi pedes lauare, & ſimilia obſequia præſtare poſſitis. *Expedit vobis, vt ego vadam; ſi enim non abiero, paracletus non veniet ad vos,* Ioan. 16. in quæ verba S. Auguſtinus tract: 94. *Expedit vobis, vt hæc forma ſerui* (in qua ſub ſacramento non apparet) *auferatur à vobis. Caro quidem factum Verbum habito in vobis, ſed nolo me*

carnali-

carnaliter adhuc diligatis, & iſto lacte contenti ſemper infantes eſſe cupiatis: non eſt nobiſcum conſortio infirmitatis humanæ; à mortali noſtro corpore carnis ſuæ immortalitate diſtat; quamuis ſubſtantia non diſtet. *Hæc ſunt verba, quæ locutus ſum ad vos*; ait ipſe Dominus, *cum adhuc eſſem vobiscum.* Lucæ 24. aderat vtiq; quibuſcum coram loquebatur; ſed nō in carne corruptibili, qualem habebant quibus loquebatur; à nobis vero receſſit, non ſolum, quia carnis gloria diſſimilis, ſed & quod oculis noſtris inuiſibilis; quamuis orphanos non relinquat, quos tam tenere amat.

NEOPISTVS. Tibi ergo credam, & Chriſtum expectabo Iudicem non è cœlo, vt ſacræ tradunt literæ, ſed è phanis luciſq; veſtris, atq; è pane prodeuntem?

THEODORVS. Modeſtius, mi Neopiſte, ne DEI Eccleſias prophanis compelles nominibus; non in pane, ſed ſub panis ſpeciebus præſentem credimus Chriſtum; nec tamen cœlis abſentem; ex quibus etiam cœlis ad judicium deſcendet in gloria & maieſtate conſpicuus, qua viſibili forma nec nunc in terris eſt; & ſub judicij extremi hora nec eius ſacramētum erit, quod interim datū eſt, donec ipſe viſibiliter ad nos veniat. Dic Neopiſte, an nō fideliter verborum Chriſti ſenſum hacte-

nus

nus expoſuerim?

Neopistvs. Apud Apoſtolum lego: *Patres noſtri eandem eſcam ſpritalem manducauerunt*, 1. Cor. 10. ſed illi ante Chriſtum natum non ſumſerunt realiter corpus eius & ſanguinem; ergo nec nos.

Theodorvs. S. Paulus minime comparat menſam Hebreorũ cũ noſtra, ſed ipſos Hebræos inter ſe; *Omnes in Moſe baptizati ſunt in nube, & in mari, & omnes* (illi ipſi) *eandem eſcam ſpiritalẽ manducauerunt*, &c. *Sed non in pluribus eorũ beneplacitũ eſt Deo; nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem in figura facta ſunt noſtri*, &c. Nam ſicut baptiſmi noſtri figura fuit nubes, & tranſitus per mare rubrum; ita manna figura erat SS. Euchariſtæ; ſed multũ diſcrimen eſt inter baptiſma Chriſti, & nubẽ ac mare; inter manna, & noſtrã menſam; vt docet ipſe Chriſtus Ioan. 6. *hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit; non ſicut patres veſtri manducauerunt manna*; nubes certe, manna, aqua petræ non proprie fuerũt ſacramẽta; quis enim admittat, Iudæos ſacramentis vſos, quoties manna paſti ſunt, vel aquam, quæ è petra illos ſequebatur, potarũt? Sacramenta igitur non erant illa, ſed ſpiritalia dicuntur tantum, tum quia non ſine miraculo fuerunt; tum quia erant rerum ſpiritualium figuræ; vt recte peruetus auctor, qui vulgo S. Ambroſius habetur, comẽtatus eſt in 1. Cor.

cap.

cap. 10. *manna & aqua quæ fluxit de petra dicit* (Apoſtolus) *ſpiritalia, quia non mundi lege parata ſunt, ſed Dei virtute, ſine elementorũ commixtione ad tempus creata, habentia in ſe figuram futuri myſterij.* Quod ſi ergo illa, nec ſpiritualis animæ refectio, nec ſacramenta proprie fuerunt, quam inepte fingitur, æqualem ipſis virtutem ineſſe, atq; excellentiam, quæ noſtris ſacramentis eſt? quam bene D. Ambroſius lib. 4. de ſacra, cap. 5. *Ieſus teſtificatur nobis, quod corpus ſuum accipiamus & ſanguinem; nunquid debemus de eius fide & teſtificatione dubitare? magnũ quidem, & venerabile, quod manna pluit Iudæis e cœlo. Sed intellige, quid eſt amplius, manna de cœlo, an corpus Chriſti? corpus Chriſti vtiq;, qui auctor eſt cœli?* S. Cyrillus lib. 3. in Ioan. cap. 34. miraculum quo manna datum eſt, vocat paruum, ac vere nullum, comparatione SS. Euchariſtiæ. Et B. Saluianus lib. 2. ad Eccl. Catho. *Iudæi habebant quandam umbram rerũ; nos veritatem; Iudæi manna manducauerunt, nos Chriſtum; Iudæi carnes auium, nos corpus Dei.* Nec eſt quod S. Auguſtinum his Patribus opponas; licet enim cũ obiter ad hunc Pauli locũ accederet, admittat Hebræos eandem quam nos habuiſſe eſcam, tamẽ clare ſe ipſe interpretatur. *Idẽ*, inquit, *in myſterio cibus & potus illorũ, & noſter; ſed ſignificatione idem nõ ſpecie; quia idẽ ipſe Chriſtus illis in petra figuratus, nobis in carne manifeſtatus.* comẽt. in Pſal. 75. Neo-

Digitized by Google

NEOPISTVS. Vale Theodore; nam & me menſa domum vocat; ſi tempus pateretur, oſtenderem tibi ex vetuſtis Patribus, nihil noui Caluinum, aut Zwinglium docuiſſe, & aliter à Patribus ſcripturam intellectam eſſe.

THEODORVS. Si vir bonus es, profer iſtos Patres, ne properes; quia necdum prope eſt hora prandij: nos nec latum vnguem à communi Sanctorum Patrum ſententia abire fatebitur, quiſquis eos legerit attente; non te detinebo longius, tres tantum ex Oriente, & tres ex Occidente proferam. S. Cyrillus Hieroſolymitanus, quem Generalis Synodus Conſtantinopolitana commendat, in Catecheſi Myſtagog. 4. ſcribit: *Cum igitur Chriſtus ipſe ſic affirmet, atq; dicat de pane, Hoc eſt corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoq; confirmante & dicente; Hic eſt ſanguis meus, quis dubitet & dicat non eſſe illius ſanguinem? Quare omni cum certitudine corpus & ſanguinem Chriſti ſumamus: Nam ſub ſpecie panis datur tibi corpus; & ſub ſpecie vini datur ſanguis, vt ſumto corpore & ſanguine Chriſti, efficiaris ei cōparticeps corporis & ſanguinis*, χριστοφόροι γινόμεθα, *ſic Chriſtophori erimus, hoc eſt, Chriſtum ferentes, cum eius corpus & ſanguinem in mēbra noſtra receperimus*. In eadem Synodo fuit S. Gregorius Nyſſenus Magni Baſilij frater, qui

qui de Chriſto in Orat. catechet. cap. 37. ſcribit: *ſe ipſum per carnem, quæ ex vino & pane* (his enim nutriuntur homines) *ſubſtantiam ſuam habet, inſerit corporibus credentium commixtus*. S. Chryſoſtomus Homil. 24. in Epiſt. 1. ad Corinth. exponens verba Apoſtoli: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Domini eſt?* ſcribit: *valde fideliter dixit* (Paulus) *& terribiliter; hoc eſt autem quod dicit: id quod eſt in calice, eſt id quod fluxit è latere, & illius ſumus participes*. Et: *Tu autem non in præſepi vides* (Chriſtum, vt olim magi) *ſed in altari; non fœminam eum tenentem, ſed ſacerdotẽ oſtendẽtem &c. non ſolummodo hoc ipſum corpus vides, ſicut illi; ſed noſti eius & virtutem, & diſpenſationem. Nam quod illic* (in cœlo) *eſt omnium pretioſiſſimum, hoc oſtendam tibi ſitũ in terra. Sicut enim in regia id quod eſt omnium magnificentiſſimum, non ſunt parietes, non tectum aureum, ſed corpus regis ſedens in ſolio; ſic in cœlis regis corpus. Sed hoc tibi nunc licet videre IN TERRA: nec ſolum vides, ſed etiam tangis, nec ſolum tangis, ſed etiam comedis, & eo accepto domum reuerteris*. Item Homil. 27. in eandem Epiſtolam. *Hæc facis Chriſti menſa exceptus, illo die quo dignus es habitus, qui eius carnes lingua tangeres?* Ex latinis prodeat S. Hilarius, acerrimus Religionis propugnator, eius

verba ſunt libro 8. de Trinit. *De naturali in nobis Chriſti veritate quæ dicimus, niſi ab eo diſcimus, ſtulte atq; impie dicimus: ipſe enim ait; Caro mea vere eſt eſca, & ſanguis meus vere eſt potus: Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meũ, in me manet, & ego in eo. DE VERITATE CORPORIS ET SANGVINIS non relictus eſt ambigendi locus; nunc enim & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra VERE CARO EST, ET VERE ſanguis eſt, & hæc accepta atq; hauſta id efficiunt, vt & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit.* Hilario coætaneus fuit S. Ambroſius S. Auguſtini magiſter; qui nõ minus aperte catholicũ profitetur dogma, cap. 9 de ijs qui myſterijs initiantur: *Præter naturæ ordinem virgo generauit, & hoc quod conficimus corpus, ex virgine eſt. Quid hic quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cum præter naturam ſit ipſe Dominus Ieſus ortus ex virgine?* Idem lib. 3. de Spiri. S. cap. 12. illud Pſalmi 98. *Adorate ſcabellum pedum eius*; ſic exponit: *per ſcabellum terra intelligatur, per terram autem caro Chriſti, quam hodie quoq; in myſteriis* (in ſacramẽto, vel tempore Miſſæ) *adoramus, & quam Apoſtoli in Domino Ieſu, vt diximus, adorarũt* &c. l. 4. de ſacram. cap. 5. *Ante verba Chriſti calix eſt vini & aquæ plenus, vbi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte quantis generib⁹ potens eſt ſermo Chriſti vniuerſa* conuel-

conuellere. Deinde ipſe Dominus Ieſus teſtificatur nobis, quod corpus ſuum accipiamus & ſanguinē; nunquid debemus de eius fide & teſtificatione dubitare? Leo Magnus qui per legatos ſuos magnæ Chalcedonenſi Synodo præfuit, in qua Patres ſæpius acclamarunt: Credimus quod Leo credit, huius inquam Beatiſſimi Pontificis ſentētia eſt ſer: 6. de ieiunio 7. mēſis: *ſic ſacræ menſæ communicare debetis, vt nihil prorſus DE VERITATE corporis Chriſti, & ſanguinis ambigatis. HOC enim ORE ſumitur, QVOD FIDE creditur, & fruſtra ab illis Amen reſpondetur, à quibus cōtra id, quod accipitur, diſputatur.*

NEOPISTVS. Patribus his oppono alios, qui dicunt nos myſtice, vel in myſterio accipere corpus Chriſti.

THEODORVS. Forte eoſdem etiam quos citaui, ſibi ipſos oppones? erras, myſterium idē eſt Græcis, quod Latinis Sacramentum; ſæpe etiam Græci Patres intelligunt Miſſæ ſacrificium, quod adeo ſecretum & tanquam ſummū Religionis noſtræ arcanū ſeruabant veteres, vt ab eo non ſolum infideles, ſed & catechumenos excluderent; vt ex S. Dionyſio Areopagita cap. 5. de Eccleſiaſt. Hierarch. S. Iuſtino, Apolog. 2, ad finem, alijſq; conſtat; hinc S. Auguſtinus tract. 10. in Ioannem; *Corpus Chriſti eſt manna abſconditum à catechumenis.* Et quod de nomine myſterij dictum eſt,

pertinet quoq; ad agnata vocabula myſticus, myſtice;nam myſticum interdū idē eſt quod ſpirituale,aut ſecretū, & abſconditū; interdū vero recte expoſuerim⁹ ſacramētale,vel, vt ſic loquar,ſacrificiale,ſeu liturgicū. Quare cū dicitur,nos in myſterio ſumere Chriſti corp⁹,ſēſus haut eſt, quod ſpiritualiter tantū ſumam⁹, ſed idem eſt,ac ſi dicas;nos Chriſtū ſumere in ſacramento, vel ſi mauis, ſub Miſſæ ſacrificio.

NEOPISTVS. Quaſi vero non expreſſe ſcriberent Latini Patres, nos ſpiritualiter ſumere Chriſtum,eum noſtram eſſe ſpiritualem alimoniam, nō dentibus corporeis,ſed ſincera fide atterendam.

THEODORVS. Non abnuo,ſed quæ legis intellige. Vere,realiter, ipſum Chriſti corpus ſumimus, ſed non vt ceteras carnes; quę occiſorum animalium reliquiæ ſunt,igne coquuntur,dente teruntur, natiuo calore digeruntur; quæ de Chriſti corpore cogitanda non ſunt,niſi ſpirituali ſenſu; occiditur enim myſtice, dum mortis eius memoria in Miſſæ ſacrificio repræſentatur; digeritur feruente fide ac cordis deuotione,nō in noſtram tranſiens ſubſtantiam,ſed ſpirituali gratia nos in ſe potius conuertit, nutrit animam,ſaginat mētem; nam vt cibus corporalis licet intra viſcera receptus ſit, niſi digeratur, obeſt potius

quam

quam proſit: ita licet ore corpus eius vere accipias, in judicium tamen, non in ſalutem ſumes, ſi abſq; fide & ſpiritu accedas. Non mirum ergo, ſi ſpiritualem ſumtionem requirant Patres, ſine qua ſacramentalis manducatio eſſe, ſed prodeſſe nequit.

NEOPISTVS. Negant interdum Patres nos carnaliter Domini carne veſci.

THEODORVS. Id eſt, more ceterarum carnium, vt dixi; neq; enim in partes ſecamus Chriſti carnem, quæ incorruptibilis eſt, & cœleſtis ac ſpiritualis recte dicitur, nō quod vera caro non ſit; ſed quod ſpiritualibus quibuſdam dotibus ditata ſit. Qua phraſi etiam Apoſtolus 1. Corinth. 15. ſignificat nos in reſurrectione aliud corpus, quod ſpirituale vocat, recepturos; aliud non ſubſtantia, ſed agilitate, ſubtilitate, incorruptione, alijſq; qualitatibus. Ex quibus intelligitur illud S. Auguſtini, in Pſal. 98. *Non hoc Corpus, QVOD VIDETIS, manducaturi eſtis*; ſumimus quidem idem ſubſtantia, ſed non, quale viderant, paſſibile. Similiter S. Bernardus in ſerm. de S. Martino ſcribit de Chriſti carne; *quod nobis ſpiritualiter vtiq;, non carnaliter exhibeatur*; ſed mox ſubdit; *adeſt nobis etiam nunc carnis ipſius vera ſubſtantia, haut dubium ſane quin in ſacramento.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

NEOPISTVS. Quid reſpondebis ad nonnullos Patres, qui expreſſe Euchariſtiam vocant figuram corporis & ſanguinis Chriſti?

THEODORVS. Reſponſum eſt iam dudũ in Nicæna Synodo interdũ ſic vocari panẽ & vinũ ante cõſecrationẽ; ſed & iam cõſecrata duplici modo dicũtur antitypon ſeu ſignũ Chriſti, Primo, quia Euchariſtia repręſẽtat Chriſtũ pro nobis paſſum; aut etiã in cœlis regnantẽ; & viſibili præſentia cœlites paſcentẽ. Quamuis ergo pręſens ſit corpus Chriſti, nõ eſt tamẽ pręſens modo viſibili, ſicut viſibiliter & olim paſſus eſt, & nunc in cœlis regnat; ſed vtriuſq; huius pręſẽtiæ ſignũ, & vicaria quaſi repręſẽtatio eſt hoc ſacramentũ. Secũdo, ipſę ſpecies panis, & vini dicuntur ſacramentũ, & ſignum corporis Chriſti, quod præſens eſſe indicant: neq; verũ eſt, ſignũ & figurã nõ eſſe niſi rei abſentis; certe Dei filius dicitur figura ſubſtãtiæ Patris, qui tamẽ in Patre ſemp manet; & ſigna diceris exhibere grati, vel amici erga alium animi; non abſentis, ſed latentis; quo modo & baptiſmum, S. Aug. Epiſt. 23. fidei ſignũ vocat.

NEOPISTVS. Zwinglium nullo veterum conſentiente dogma omnino peregrinum cudiſſe non facile mihi perſuadebis.

THEODORVS. Nec id credas velim; errarunt enim ante illũ in hoc ſacramento, qui Chriſtũ nõ credebãt verũ hominẽ, de quibus S. Ignat. Apoſtolorũ diſcipulus, apud Theodoretũ dial, 3. Eu-

3. Euchariſtias, & oblationes nō admittūt, eo quod nō cōfiteantur Euchariſtiam eſſe carnē Saluatoris. Neſtoriani nō negabant quidē in Euchariſtia cōtineri carnē & ſanguinē, ſed illa puri hominis eſſe, nō filij Dei cōtendebant. Cōtra quos S. Cyril. declarans anathematiſmos ab Epheſino cōcilio probatos in Anath. 11. ſcribit: *Sanctū, viuificum, incruentumq; in Eccleſiis ſacrificiū offerimus corpus & pretioſū ſanguinē; quæ proponuntur,* (τὸ προκείμενον, quod ante nos ſitū eſt) *nō communis nobisq; ſimilis hominis eſſe credentes, ſed Verbi; accipimus enim vtrūq; tanquam Verbi, quod omnia viuificat, proprium; ſiquidē communis caro viuificare non poteſt.* Et iterum in defenſione eorumdem anathematiſmorū ad Epiſcopos Orientales miſſa: *Num hominis* (puri) *comeſtionē noſtrū hoc ſacramētū pronūcias, & irreligioſe ad craſſas cogitationes* (de carne meri hominis, quę ventrē paſcere, nō animā poteſt) *vrges eorum, q crediderunt mentē, & attentas humanis cogitationib⁹ tractare, quæ ſola pura & ſimplici fide accipiūtur. Quoniam enim minimè editur diuinitatis natura, propter hoc commune dixerit quis ſanctū corpus Domini?* Nū quia Deitas per ſe nō manducatur, ideo corpus quod ſumitur, negabitur Dei corpus? loquitur autē de reali mādicatione; nā diuinā naturā fide creditā ſpiritualiter nos paſcere nemo negauerit.

NEOPISTVS. Intelligo hunc Cyrilli locū minus caute vobis à noſtris obijci. Sed perge.

THEODORVS. Ipſum Zwinglij, & Caluini tui errorem habuerunt iam 900. fere abhinc annis Iconoclaſtæ in Oriente, quibus ſe fortiter Orientalis Eccleſia oppoſuit; vt patet ex II. Nicæna Synodo, S. Damaſceno, & Theophylacto. Hæreticum in illa Synodo ſic alloquitur Epiphanus Orthodoxus: *Audiunt eum* (Chriſtum) *ſic dicentem Euangelice: Niſi comederitis carnem, &c. Et; Accipite, edite: Hoc eſt corpus meum; non autem dixit: ſumite, edite imaginem corporis mei.* S. Ioannes Damaſcenus, lib. 4. de Orthodoxa fide, cap. 14. *Nec enim panis & vinũ corporis Chriſti figura ſunt, (abſit enim hoc) verum ipſummet Domini corpus diuinitate affectum; quippe cum Dominus ipſe dixerit: Hoc eſt, non corporis ſignum, ſed corpus; nec ſanguinis ſignum, ſed ſanguis.* Eadem Theophylactus Bulgarorum Epiſcopus in cap. 6. Ioannis: *Attende autẽ quod panis qui à nobis in myſteriis manducatur, nõ eſt tantũ figuratio quædam carnis Domini, ſed ipſa caro Domini. Nõ enim dixit; panis quẽ ego dabo, figura carnis; ſed, caro mea eſt.*

NEOPISTVS. Dubito de fide interpretis.

THEODORVS. Ne dubita, Theophylactum interpretatus eſt fidiſſimus tuus Oecolampadius; tu mitte me Sacramentariorum texere genealogiam. Ab Orientalibus Iconoclaſtis ſeducti videntur Ioannes Scotus, &

Bertra-

Bertramus, qui in Gallijs tempore Caroli II. vixerunt; ſed de neutro legitur, quod pertinaciter errauerit; aut ab Eccleſia diſceſſerit; aut Monaſticam, quam vterq; profeſſus erat, vitam deſeruerit. Reprehendunt eundem errorem auctores (neq; enim vnus videtur) librorum, qui tempore Caroli Magni ſcripti, ſed ei falſo adſcripti, ij licet non ab omni, ab hoc tamen errore puri ſunt.

NEOPISTVS. Credebam eos pro nobis eſſe.

THEODORVS. Falleris, aperte enim profitentur lib. 4. cap. 14. *Sui nobis corporis & ſanguinis contulit ſacramentum*, nec ait; *Hæc eſt imago corporis & ſanguinis mei*, *ſed*, *Hoc eſt corpus meum*. Optime eundem errorem refutauit ante DCC. & plures annos Paſchaſius. Ratbertus Corbeienſis in Germania Abbas; nec fuit in orbe Chriſtiano qui ei cõtradiceret. Longo poſt tẽpore circa annum M.L. primus in Occidente Berengarius & obſtinatius realem Chriſti in ſacramento præſentiam abnegare, & conceptum errorem propagare ſtuduit.

NEOPISTVS. Audiui ſæpius de viro hoc, & miror eum à noſtris fere taceri.

THEODORVS. Minime mirum, nam ſola Berengariana hiſtoria vos peſſum dat, &

Digitized by Google

hæreſis conuincit. Confeſtim enim cõtra Berengarium tanquam noui & hæretici dogmatis ſectatorem ſurrexit vniuerſus orbis catholicus; damnatus eſt in Concilio Romano, & Vercellenſi ſub S, Leone IX; in Turonenſi tẽpore Victoris II. & poſt iterũ Romæ ſub Nicolao II. in CXIII. Epiſcoporũ Synodo; calamũ contra eum ſtrinxerunt doctiſſimi quiq; in Italia, Gallia, Anglia, Belgio, germania, &c. S. wolphelmus Bruuilarenſis apud Coloniam Abbas; Durandus Epiſcopus Leodienſis; Lanfrancus Archiepiſcopus Cantuarienſis, qui S. Anſelmum diſcipulum, & in ſede ſucceſſorem habuit; Guitmundus Epiſcopus Auerſanus; Algerus ex Scholaſtico Leodienſi monachus Cluniacenſis. Quid multa? ipſe Berẽgarius homo alioqui turpiſſimus, ſæpius hanc hæreſin abiurauit; & licet identidem relapſus, veram tamẽ fidẽ noſtram in ipſo mortis articulo profeſſus eſt; ex omni vero Berengarianorũ numero nullus fuit alicuius nominis, & tota turba, quia ex Deo nõ erat, extincta eſt. Vides quam expreſſe iam ante quingentos annos tota Chriſtianitas, tot Epiſcopi & cleri, tot Eccleſię, omnes Reges & Principes in Berengario damnarint Zwinglium, Caluinum, Oecolampadium.

NEOPISTVS. Scio quoſdam è noſtris vilipendere omnium Eccleſiarũ, quæ iam à mille annis

annis floruerunt, auctoritatẽ, ſed vt quod res eſt fatear; nõ poſſum contemnere tantos populos, tot viros, quos nos etiã pro doctis, pijs, & ſanctis habemus; & in hac noſtra cauſſa miror tam conſtanter totũ orbẽ Berengario cõtraiuiſſe; Berengariũ vero inconſtantiſſime egiſſe; cum veritati propria ſit conſtantia. Sed dic poſt Berengarianos qui nam alij ante noſtra tempora docuerunt, quod nos tenemus.

THEODORVS. Idem ſenſiſſe referuntur quidam, & noſtro & veſtro calculo manifeſti hæretici, vt Petrobruſiani, Albigenſes, & alij eiuſdẽ farinæ, qui in D. Petri naue caput cõfregerunt, & in nihilũ redacti ſunt. Præter apertos vero hęreticos fuit forte vnus vel alter ſub inde, qui ſenſib⁹ ſuis plus crederet, quã totius Eccleſiæ cõſenſui; de tali clerico ſcribit S. Bernardus in vita S. Malachiæ, cap. 37. negabat clericus hic Chriſti in Euchariſtia præſentiã, nec ab errore auocare poterant S. Malachias, ceteriq; Epiſcopi & clerus; pertinax ille manſit, ſed ſubita infirmitate correptus, vt diuinã in ſe iram ſenſit, ad ſe redijt, & catholicam fidẽ profeſſus eſt; ac vno pene momento, ait S. Bernardus, perfidia (Zwinglij & Caluini fides) ore abdicatur, & morte diluitur.

NEOPISTVS. Fateor me multum in tuam Theodore propendere ſententiam, ſed retrahunt nimis multa.

THEO-

THEODORVS. Dic ſodes, quæ nam illa?

NEOPISTVS. Non capio fieri poſſe, vt vnum & idem corpus ſit in cœlo, & in tot altaribus, ac templis.

THEODORVS. Nec ruſticus ſtellam capit tota terra maiorem eſſe, & tamen credit hominibus peritis, & tu Deo non credas, ac toti tot ſæculis nos antegreſſæ Eccleſiæ. Credis SS.mæ Trinitatis & Incarnationis Dominicæ myſteria?

NEOPISTVS. Credo, nec ab hac fide me abduceret vllus Angelorum, nedum hominum.

THEODORVS. Hæc certe myſteria minus perfecte capies, quam Chriſti in Euchariſtia præſentiam; quæ multo facilius intelligitur.

NEOPISTVS. Hoc fac vt intelligam.

THEODORVS. Difficillime capiuntur ea Religionis capita, in quibus vnitas & numerus inter ſe coueniunt, vt fit in tribus his Trinitatis, Incarnationis, Euchariſtiæ myſterijs; in quibus credimus vnam naturam in tribus perſonis; vnam perſonam Saluatoris in duabus naturis; eundemq; præſentem in pluribus locis. Quod poſtremum facilius nobis ſuadetur: nam locus accidens eſt corporis, & facile mutatur, at ratio perſonæ ſeu hypoſtaſis, naturæ valde coniuncta eſt, nec ab ea naturaliter

liter ſeparabilis; ſi ergo credis vnam naturam DEI ſubſiſtere in tribus perſonis, cur negas eundem Chriſtum exiſtere poſſe in duobus, tribus, vel pluribus locis? ſi vna perſona Verbi poteſt habere duas naturas; cur Verbum incarnatum nequeat habere plures in loco prę-ſentias? inter perſonam & naturā ſubſtantialę vinculū eſt, prę ſentia localis accidens tantum ſubſtantiæ eſt, ſingulis momentis mutabile.

NEOPISTVS. Parce quod te interrumpam, an non incredibile eſt; vnum hominem eſſe Bernæ, & ſimul Lucernæ.

THEODORVS. Video te minus capere cœleſtia, in terris exemplum quæris, non habes per omnia ſimile, accipe affine; an non tua anima ſimul eſt in capite, & corde?

NEOPISTVS. Aliud eſt; nam anima in capite continua ſeu vnita eſt animæ in corde.

THEODORVS. Continuitas propriè corporum eſt; vt & vnio in ordine ad locum, quā tibi imaginaris; nec Deus in cœlo eſt vnitus Deo in terris, ſed vnus; vnuſq; maneret, licet omnia media loca tollerentur: Sic anima non eſt vnita ſibi ipſa, ſed vna & eadem in corde & capite, & in vtroq; conſeruari poſſet diuina potentia, licet caput Bernam, cor Lucernam transferretur. Elegantiſſime de hac re Guitmundus, lib. 1. de veritate Euchariſtiæ. *Pro-*

fectò

fecto qui hanc noſtræ animæ potentiam tribuit, vt vna eademq́; & indiuiſa in ſingulis quibusq; particulis ſui corporis eodem tempore tota conſiſtat; quare ſuæ propriæ carni id dignitatis ſi vult, dare non valeat, vt & ipſa in diuerſis ſui eiusdem corporis, quod eſt Eccleſia, partibus tota ſimul & indiuiſa poſſit haberi; cũ ſicut anima noſtra vita eſt corporis; ita ſit Eccleſiæ (imo multo melius per Dei gratiam) vita caro Saluatoris?

NEOPI. Nõnullã fateor mihi lucẽ attuliſti.

THEODORVS. Cape aliud exemplũ aliquanto diſſimilius, ſed tibi fortaſſe facilius, ab eodem Guitmundo: *Quotidiano experimento cognoſcimus, quia intellectus noſter, id eſt verbum cordis noſtri, cum illũ quodãmodo voce veſtimus, vt qui in corde noſtro latens nobis ſolus cognitus erat, per vocem aliis etiã manifeſtari poſſit; eodem tempore & totus in corde noſtro remanet, & totus æque mille hominibus cum aſſumta voce ſua, quãtum in ſe eſt, ita apparere poteſt, vt non ſolum ipſe ſimul omnium corda colluſtret, ſed aures etiã cunctorum ipſa qua veſtitus eſt voce eodem tempore tota & indiuiſa perſtringat. Si igitur humano verbo Deus tantum præſtitit, vt non ſolum ipſum, ſed etiã vox, qua quodammodo veſtitur, ad mille homines eadem ſimul totaq; pertingere valeat; nemo hoc ipſum de omnipotentis Dei vnico, & communipotẽte, & coæterno Verbo, & de carne eius, quã ſimiliter, vt nobis ipsũ Verbũ appareret, veſtiuit, etſi*

capere

capere non poſſit, habere incredibile debet, quod de fragiliſſimo & trāſitorio verbo hominis, & momētaneis vocibus vixq́3 exiſtentibus, & nunquā prævalet capere, & tamē pene ſemp̄ experimēto habet.

NEOPISTVS. Non difficulter iam admitterem, idē corpus in pluribus locis eſſe poſſe; certe nunc mihi occurrit; quod Chriſt⁹ locutus ſit cūPaulo in tertis, Act. 9. & 22. & alia vice eidē Apoſtolo aſtiterit in carcere, Act. 23. q̄ tamē, vt nos credim⁹, cœlos interim nō deſeruit.

THEODORVS. Da ergo gloriam Deo, & credas corpus eius eſſe, quod tam aperte corpus ſuum dixit.

NEOPISTVS. Quomodo viri corpus continetur tantulo pane?

THEODORVS. Sub panis forma eſt integer Chriſtus, quantitatē retinet corpus, ſingulis membris ſua manet figura, decens proportio, & in ordine ad corpus extenſio eadē, quā in cœlo Chriſtus habet; tollitur tantū partiū in ordine ad locū diſtantia. Nos quidē corpus magnū non poſſumus in paruo loco cōſtituere, niſi illud cōſtringamus aut complicemus; ſed alia eſt diuinitatis potentia; hęc animę noſtræ dedit, vt vaſtum repleat corpus; tota ſit in minimo corporis articulo, nō compacta, non contracta; ſed Dei in mundo præſentiam quadantenus æmulata; quod naturaliter habet anima, hoc diuina virtute corpori ſuo confert Chriſtus.

NEO-

Digitized by Google

NEOPISTVS. Non intelligo fieri poſſe, vt magnitudo corporis, membrorũq; diſtantia ſeruetur in loco minimo, & indiuiſibili.

THEODORVS. Quaſi vero extenſio in ordine ad locum coniuncta ſit neceſſario cũ extenſione corpori quanto intrinſeca; in promtu ſunt exempla quibus ſatis oſtenditur in corporibus manere eandem partium in ordine ad totum diſtantiam, licet multũm varietur diſtantia earundem in ordine ad locũ. Pannus V. g. explicatus locum decem pedalem occupat; qui complicatus vnius pedis terminis continetur; extremitates panni explicati decem pedibus, complicati vero nec vno pede diſtant; & tamen manet eadem tam explicati, quam complicati in ordine ad totũ partium diſtantia; tantum extremitates diſſident in complicato, quantum diſtabant in explicato, ſi ordinem ad totum ſpectes; quamuis in ordine ad locum extremitates complicati ſint viciniſſimæ. Sed & de humano loquamur corpore; qui caput ad genua inclinat, in ordine ad locum vicinum pedibus habet cerebrum, quibus eſt propinquius, quam ventriculus vel cor; at ſecundum extenſionẽ corpori quanto intrinſecam, & cor & caput eandem ſeruant diſtantiam, quam in homine recto habent. Alia eſt ergo membris intima diſtan-

diſtantia, alia quæ eis in ordine ad locum competit; illa manet, licet hæc mutetur, vel etiam auferatur. Sic ſacroſancta Chriſti membra extenſa manent in ordine ad corpus; non autem in ordine ad locum; nec ſequitur ea commaſſari, ſed in eodem loco exiſtere; vt ſi diuina potentia coniunctæ manus ſe mutuo penetrarent, eundem quidem ordinem haberent ad locum; ſed non ad corpus; neq; enim vna manus fierent, neq; vtraq; ſiniſtra, ſed dextera vna, altera ſiniſtra maneret; hæc cordi vicinior, quam illa eſſet: Hæc ſi necdum capias, crede; ſicut credis Euangelio, ex quo diſcis fieri poſſe, vt camelus foramen acus tranſeat; licet modum non intelligas; vel ſi intelligis, & quæ hactenus dicta ſunt, impoſſibilia non videbũtur.

NEOPISTVS. Chriſtum, quod Apoſtolis dedit, ipſummet ſumſiſſe traditis, quomodo in ventrem ſuum traiecit eundem ventrẽ; & in os ſuum impoſuit ſacrum ſuum caput?

THEODORVS. Nimis adhæres exemplis corporalibus, ijſq; metiris arcana Dei; *Inuiſibilia perſequimur*, ait S. Hilarius lib. 3. de Trinitate, *& incomprehenſibilia tentamus, quibus intelligentia ad conſpicabiles res & corporeas coarctatur.* Si credis eandem rem in pluribus locis, quid ni credas idẽ corpus poſſe ſeipſum recipere, quod in Chriſto confeſſus eſt S. Hierony-

ronymus, Epiſt. 150. ad Hedibiam, quæſt. 2. *nec Moſes dedit nobis panem verum, ſed Dominus Ieſus; ipſe conuiua & conuiuium; ipſe comedens, & qui comeditur.* Hæc Hieronymus, cuius lateri ob diuinarum ſcripturarum ſcientiam inhærere cupiebat D. Auguſtinus, Epiſt. 15. Sed & Auguſtinum audi concione 1. in Pſal. 33. *Ferebatur Chriſtus in manibus ſuis quando commendans ipſum corpus ſuum, ait; Hoc eſt corpus meum; ferebat enim illud corpus in manibus ſuis;* ſi in manibus ferre potuit, cur non in ſacratiſſimum os ſuum, aut ventrem inferre? Non duos fingimus Chriſtos, ſed idem ſe ipſum ferebat, ſe ipſum ſumebat; nec id intellectu arduum eſt, ſi rem eandem credamus multiplicem habere præſentiam; quod credunt, quotquot CHRISTO credunt; negant, qui quæ vident credunt; quorum infirmitati mederi cupiens, commune adhibeo pharmacum; digitum ori tuo inſeras, & ecce eadem anima quaſi intra ſeipſam inſeritur; eadem enim & in ore eſt quod digitum excipit, & in ipſo digito qui inſeritur. Nec hoc conuenit animæ præciſe quia ſpiritus, ſed quia in pluribus partibus præſens eſt; adeoq; Chriſti quoq; corpori in pluribus locis præſenti conueniat oportet. Rem qui necdum capit, is ſaltem ori imponat digitum ſilentij

indicem;

iudicem; nec culpet quæ ipſe ad res intelligendas hebetior non penetrat.

Neopistvs. Dic, qui dente comminuit panem ſacrum, aut manibus frangit, quomodo non vna corpus Chriſti ſecat, & partitur?

Theodorvs. Necdum intelligis animæ tuæ in tuomet corpore præſentiam; vt anima in qualibet corporis parte, tota ac modo quodam indiuiſibili præſens eſt; ita & Chriſtus ſub panis ſpecie. Num qui abſcidit alteri auriculam, animæ amputauit particulam? hiat corpus vulnere diuiſum, indiuiſa manet anima. Simili modo franguntur ſpecies, illæſus & integer permanet Chriſtus. Senſibilibus cum adeo affixus ſis, ex his exemplum accipe: apparet in ſpeculo imago hominis, quæ fracto ſpeculo non frangitur, ſed in quauis parte relucet integra.

Neopistvs. Hoc à vobis recens videtur excogitatum, quod fracta hoſtia non frangatur corpus Chriſti; nam Berengarij hanc olim lego acceptatam reuocationem, cap. 42. diſt. 2. de conſecrat. *Corpus & ſanguinem Domini in veritate manibus ſacerdotum tractari, frangi, & dentibus atteri.*

Theodorvs. Sic loquitur etiã S. Chryſoſtomus homil. 45. in Ioannem; *vt ſuũ in nos oſtenderet amorem, non ſe tantum videri permiſit deſiderantibus, ſed & tangi, & manducari, &*

dentes carni ſuæ infigi: & homil. 83. in Matthæum; *Qua igitur re mundiorem eſſe non oportet eum, qui hoc ſacrificio participaturus eſt? Quos radios ſolares non deberet excedere manus illa, quæ hanc carnem diuidit, os quod igne impletur ſpiritali, lingua quæ cruentatur admirabili ſanguine.* Eodem modo S. Cyrillus, Alexandrinus lib. 12. in Ioan. cap. 58. *viſibiliter ſimul atq; inuiſibiliter Chriſtus omnibus apparet: inuiſibiliter quidem vt Deus; viſibiliter autem in corpore: præbet enim nobis carnem ſuam tangendam, &c.* Videri & tangi dicitur ratione ſpecierum ſub quibus eſt, non quod ipſum Chriſti corpus videatur, tangatur, frangatur: ſicut lingua cruentari dicitur, quia ſuper ſe habet ſacrum cruorem, quo tamen nec rubeſcit, nec humectatur corporaliter.

NEOPISTVS. Species non ſunt ipſum Chriſti corpus, nec in eo inhærent; quare impropriè diceretur corpus Chriſti frangi, eo quod ſpecies frangantur.

THEODORVS. Non abnuo impropriam eſſe locutionem; nec à nobis frequentatur, pium tamen ſenſum, vt dixi, habet; nec ab vſu loquendi tam remota eſt; nam qui veſtem tangit, qua Paulus indutus eſt, ipſum Paulum dicitur tangere, cui tamen illa extrinſece tantum adiacet. Quis me tetigit? quærit Chriſtus Lucæ 8. quando mulier fimbriam eius tetigerat.

rat, coniunctiores ſunt Chriſti corpori iam ſpecies, quam olim fuerit fimbria. Quo ergo tropo tangi dicitur corpus ratione veſtis adiacentis; eodem quidam & frangi dixerunt, phraſi minus ſolita vſi, quo carnis Chriſti præſentiam certiſſimam profiterentur, quæ proprie nullatenus diuiditur, licet in 100. partes ſacra frangatur hoſtia. Hinc in Miſſa ſua canit cœleſtis illa fiſtula, vt à D. Bernardo vocatur, S. Ambroſius: *Singuli accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus eſt totus, nec per ſingulos minuitur, ſed integrum ſe præbet in ſingulis.* Ritus Miſſæ Ambroſij in præfat. Dominicæ V. poſt Epiphaniam; & citant Guitmundus lib. 1. Algerus lib. 1. de ſacramentis, cap. 15. Idem olim in manna præfiguratum pulchre obſeruauit S. Eucherius, homil. 5. Paſchali; *de quo pane vetus narrat hiſtoria, nec qui plus collegerat amplius, nec qui minus parauerat reperit minus: eo quod Euchariſtiæ ſacra perceptio, non in quantitate, ſed in virtute conſiſtat. Quod corpus ſacerdote diſpenſante tantum eſt in exiguo, quantum eſſe conſtat in toto: quod cum Eccleſia fidelium ſumit, ſicut plenum in vniuerſis, ita integrum eſſe probatur in ſingulis.*

NEOPISTVS. Hæc ex S. Euſebij Emeſeni homilia ſunt.

THEODORVS. Scio Euſebij nomine vulgo citari, ſed Eucherij Lugdunenſis Epiſcopi

eſſe, qui ante annos 1150. floruit, merito cenſent viri docti; quisquis ſit author, vir inprimis pius & doctus eſt, qui in Gallia S. Eucherij tempore vixerit; non ille Euſebius Emeſenus Græcus, cuius meminerunt S. Hieronymus in Catalogo virorum illuſtrium, & Theodoretus Dialogo 3.

NEOPISTVS. Quibus à te dicta refellam non habeo, ſed quomodo præſens ſit Chriſtus, necdum plene capio.

THEODORVS. Quomodo capies, ſi non credas; niſi *crediderițis*, inquit Iſaias cap. 7. apud 70. *non intelligetis*; tu capies quod viri diuina humanaq; ſapientia clariſſimi non omnimodis intellexerunt, & tamen firmiter crediderunt, alioſq; credere docuerunt. Bene S. Cyprianus Serm. de cœna Domini: *Inter Dominicæ menſæ conuiuas animalis homo non admittitur; quidquid caro & ſanguis dictat, ab hoc cœtu excluditur; nihil ſapit, nihil prodeſt quidquid humani ſenſus molitur ſubtilitas: omne quidquid à ſuis rationibus deuium videtur, ſapientes huius ſeculi ad dementiam referunt, & à veritate reputant alienum. Sed veritas ab erroneis hominibus comprehendi non potuit; & cum in ſole vellet figere oculos, vim luminis non ferens, cæcata eſt, non illuminata humana præſumtio, & aſpectui eius lippitudo inhæſit. Vident hæc ſacramenta pauperes ſpiritu,*

& hor

Digitized by Google

& hoc vno contenti ferculo, omnes mundi huius delicias aſpernantur: & poſſidentes Chriſtum, aliquam huius mundi poſſidere ſuppellectilem dedignantur. Grauiſſime etiam S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus lib. quarto in Ioannem, cap. decimo tertio. *Cum DEVS operetur, non quæramus, Quomodo? ſed operis ſui viam atq; ſcientiam illi ſoli concedamus. Innumerabilia ſunt, in quibus ſi, Quomodo? quæris, vniuerſam euertere tibi ſcripturam neceſſe erit, prophetarum doctrinam & ipſius Moſis ſcripta contemnenti. Quare credidiſſe Chriſto potius vos oportuit, & ſi quid arduum videbatur, ab eo humiliter petere, quam veluti temulentos exclamare: Quomodo poteſt hic nobis ſuam carnem dare? Nonne videtis, quia quum hæc dicatis, ſtatim cum iſta voce arrogantia magna ſignificatur?* Num te Diuinis iſtis viris anteferes?

NEOPISTVS. Quid credam neſcio.

THEODORVS. Cui tutius credes, quam Chriſti verbis, & tam ſanctis Doctoribus; ſin minus, operibus ſaltem crede.

NEOPISTVS. Quæ tu narras opera.

THEODORVS. Miracula, quibus Chriſtus ſuam in ſacramento præſentiam toties probauit.

NEOPISTVS. Nihil te celo, narrauit mihi nuper Alipius miraculum, quod ego pro

explorata fabula habeo; idemq; iudicium de ceteris facio.

THEODORVS. Quid audio Neopiſte, ſunt fabuloſa, & falſo Apoſtolis adſcripta Euangelia Petri, Thomæ, Matthiæ, Euſeb. lib.3.hiſt.cap.25. ergo quæuis Euangelia in fabulis, & pſeudepigraphis numerabis? fabulam narrauerit Alipius; num ideo mendacij ſuſpectos habebis Patres ſanctiſſimos, qui ſui æui hiſtorias, aut à ſe viſa conſcripſerunt?

NEOPISTVS. Non loquor de antiquis Patribus.

THEODORVS. Nec ego ad recentia exempla te inuito; lege S.Cyprianum Martyrem de lapſis, S. Gregorium Nazianzenum in oratione de ſorore ſua S. Gorgonia, B. Optatum Mileuitanum Epiſcopum, lib.2, contra Donatiſtas, & alios; è ſexcentis referam, quæ in Oriente eueniſſe ſcribit S.Chryſoſtomus; & quod Romæ accidit Magno Gregorio; hoc te credere Chriſtum; illa quem eredis colere & adorare docebunt.

NEOPISTVS. Et Chryſoſtomum & Gregorium Doctores vere pios & eruditos fuiſſe agnoſcimus.

THEODORVS. S. Chryſoſtomus lib. 6. de ſacerdotio ſcribit: *Per id tempus* (ſacrificij ſeu Miſſæ) *& Angeli ſacerdoti adſtant, & cœleſtium poteſtatum vniuerſus ordo clamores excitat,*

& locus

& locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur, Angelorum choris plenus eſt. Id quod credere abunde licet, vel ex tanto illo ſacrificio, quod tum peragitur. Ego vero & commemorantem olim quendam audiui, quum diceret; ſenem quendam, virum admirabilem, ac cui reuelationum myſteria multa diuinitus fuiſſent detecta, ſibi narraſſe, ſe tali olim viſione dignum habitum a Deo eſſe: ac per illud quidem tempus derepente Angelorum multitudinem conſpexiſſe, quatenus aſpectus humanus ferre poterat, fulgentibus veſtibus indutorũ, altare ipſum circunſtantium, deniq; ſic capite inclinatorum, vt ſi quis milites præſente Rege ſtantes videat: id quod facile mihi ipſe perſuadeo. Item & alius quidam mihi narrauit, non ille quidem ab alio edoctus, ſed dignus habitus, qui id & vidiſſet ipſe, & audiisſet: quod qui de hac vita emigraturi ſunt, ſi myſteriorum huiusmodi cum pura ac munda conſcientia fuerint participes, ſpiritum efflaturi, ab Angelis illorum corpora ſatellitum more ſtipantibus, propter aſſumtum illud ſacrum, hinc recta in cœlum abducuntur. Quo rapientur Caluiniſtæ, qui nec agnoſcunt præſentem regem, quem tam ſubmiſſe adorant Angeli?

NEOPISTVS. Mitte hæc, quid Gregorio acciderit, dic breuiter.

THEODORVS. Matrona quædam dum ſacram à B. Pontifice accipit hoſtiam, riſit pro

Chriſti corpore ſibi dari panem; quod aduertens Gregorius, hoſtiam ſubtraxit; quæ hoſtia orante vna cum populo Pontifice, ad fidei cõfirmationem, in carnem verſa eſt; & poſt iterum antiquam recepit ſpeciem. Ioan. Diaconus in vita S. Gregorij, lib. 2. cap. 41.

NEOPISTVS. Narras incredibilia, quamuis ſimilia de ſanguine ex hoſtiis, vt vocatis, profluente ſæpius audiuerim. Verum cum Chriſtus ſit impaſſibilis; vnde cruor talis profluit? nec ex corpore eius eſt ſanguinolentæ carnis portio.

THEODORVS. Quæ miraculoſe interdum apparent caro & ſanguis minime ſunt ex ipſo CHRISTI corpore, vt tu recte ſentis.

NEOPISTVS. Conſequenter nec vera caro, aut verus ſanguis eſt.

THEODORVS. Hoc minime ſequitur, vltro tamen admitto communiter non eſſe veram carnem, aut ſanguinem.

NEOPISTVS. Ergo fictus; at in DEVM non cadit fictio.

THEODORVS. Nec ficta, id eſt, vt tu intelligis doloſe conficta caro talis & ſanguis, ſed carnis & ſanguinis ſimilitudo ſunt, ac quędam imago, qua Deus redarguit infideles, cõfirmat fideles.

NEOPISTVS. An non eiuſmodi miraculo-

culoſus ſanguis eſt, quem in variis locis veneramini tanquam Chriſti ſanguinem?

THEODORVS. Eſt nonnunquam, quem honoramus tanquam ſanguinis Domini ſimilitudinem non humana arte fictam, ſed diuinitus fabrefactam.

NEOPISTVS. An tu vllibi verum Chriſti ſanguinem aſſeruari putas?

THEODORVS. Vereor Neopiſte, vt à propoſita materia declines, ſed rem breuiter accipe: exhibentur terra aliaq; CHRISTI olim reſperſa ſanguine, ſanguinis illius eſto non amplius inſit ſubſtantia; veneratione tamen eſt digniſſima ſanguinis forma; vtrum vero CHRISTVS alicubi etiam de ſuo ſanguine aliquid reliquerit, quem in reſurrectione nō aſſumſerit, nec mihi, nec tibi conſtat; non aſſumſiſſe quem in Circumciſione fudit, tute forte credes.

NEOPISTVS. Paucis eneruaſti multa, quæ contra te paraueram; ſed iam intelligo infirma fore: Ipſemet ad propoſita reuerto. Tametſi carnem ſuam nobis dare potuerit DEI filius in cibum, quid opus erat vt faceret; quid eum ad terras iterum deſcendere plena iam facta redemtione cogeret; vt ſe denuo à multis indigne tractandum exponeret?

THEODORVS. Æque, Neopiſte, temerarij

rarij ſunt, qui vel potentiam Dei naturæ legibus definiunt; vel bonitati eius, & in nos amori modum ac terminum præſcribunt; & quæ mundus vilia, Deoq; indigna reputat, in his potentiæ, ſapientiæ, iuſtitiæ, miſericordiæ, ac bonitatis ſuæ theſauros quaſi prodigit Deus, ſed vt theſauris fit, abſcondit; quos tamen reuelat paruulis. Paruulos ad hanc menſam ſuam vocat, quæ carnem noſtram ſumſit, Sapientia, Prouerb. 9. & inſipientibus (quos vt fatuos & inſenſatos derident carnis prudentia inflati Zuinglius, Carolſtadius, Caluinus, &c) locuta eſt: *venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis.*

NEOPISTVS. Diuinitatis perfectiones in aſſumta carnis noſtræ infirmitate, & crucis vilitate nobis reuelari, facile intelligo; tu idẽ de cœna veſtra affirmas, ſed non declaras.

THEODORVS. Nec ego ſatis idoneus ad hæc explicanda myſteria; nec tu forte ſatis paruulus es, vt quæ dicere poſſem, intelligas; dicam tamen aliquid. An non manifeſta eſt in hoc epulo conuiuatoris omnipotentia? regnat in cœlo, nec à terris abeſt; quantus in cœlo, tantus ſub modica exiſtit panis formula; præſens eſt quem non videt oculus, non palpat manus; eum ſumit vnus, ſumunt mille; quantum iſti, tantum ille, nec ſumtus conſumitur. Sapientiſſime etiam factum eſt, vt de bene-

benedicto virginalis vteri fructu comedentes vitam æternam haberemus; qui mortis ſententiam incurrimus ex pomi vetiti eſu; *Oportet*, inquit S. Nyſſenus in Orat. Catechet. c. 37. *ſicut exitiale, ita etiam medicamentum recipi intra viſcera hominis, &c.* Periimus culpa parentum, quos externa pomi ſpecies decepit; ſanamur dum ſub ſenſibili forma credimus, ad quæ ſenſus deficit. *Sicut ergo* (Algerus lib. 2. de ſacrament. cap. 4. *Diabolus non vmbram in ligno inobedientiæ, ſed ipſum verum & viſibilem fructum exhibens, promiſit id quod non videbatur, ſcilicet, eritis ſicut dij: ſic & Deus non vmbram, ſed ipſum qui in ligno pependit obedientiæ, in ſuo viſibili ſacramento exhibens, promittit vitam æternam, quæ non videtur, vt dum in ea re plus ei modo creditur quam hoſti, vt dignum eſt, ſanetur hac vera fide illa perfida fides, qua olim plus diabolo, quam ſibi iniuſte creditum eſt. Sicut igitur non in ligno vetito, ſic nec in Chriſti ſacramento debet viſus aut guſtus, ſed fidei vigere iudicium: quia ſicut pomum viſu decorum, & ſuaue ad comedendum, cibus vitalis videbatur, & mortem intulit: Sic è contrario ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti videtur cibus mortalitatis noſtræ, cum vere vita æterna ſit.* Commendant eadem Dei iuſtitiam, vt genus humanum quod plus ſenſibus credidit, quam diuino interdicto; nunc ſupra ſenſus crederet

Dei

Dei verbis; quod non capit, quod non videt, animoſa firmat fides. Iuſtum præterea erat ac decentiſſimum, vt ſacra Saluatoris noſtri caro, quæ in terris tot iniurijs probriſq; exſaturata fuerat, in terris quoq; ſic præſens maneret, vt eam adorarent pij, nihil læderent impij. Iuſtitiæ obuiant miſericordia, benignitas, caritas; quæ in hoc ferculo miræ ſuauitatis odore fragrant. Poterat vtiq; Deus gentem noſtram ſeruare, licet in has terras non deſcendiſſet, nec crucem conſcendiſſet; ſed mori voluit, vt morte fortiorem ſuam nobis probaret caritatem; & poſtquam ad cœlos aſcendit, poterat quidem è cœlo ſuam regere Eccleſiam, ſed non eſt hoc amoris ingenium; ſimul eſſe quam maxime cupiunt qui amant; quod præ cæteris ardentius ſponſi deſiderant; amores omnes multis paraſangis ſuperat Chriſti in nos amor, plus millies gratiſſimus, quam dicere ſufficimus. Quid neceſſe erat, inquis, CHRISTVM ad has terras cogere? tune amori leges ſcribes? tune cœlo includes eum, cuius deliciæ eſſe cum filiis hominum? quibuſcum illum detinet non vis, ſed amor, amoris hæc neceſſitas, haut potentiæ defectus eſt. *Cum enim*, ait S. Chryſoſtomus homil. 46. in Ioannem, *ſuum in nos amorem indicare vellet, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in vnum nobiscum*

rede-

redegit, vt corpus cum capite vniretur. Hoc enim amantium maxime eſt. Hoc Iob ſignificabat de ſeruis, à quibus maxime amabatur, qui ſuum amorem præſeferentes dicebant: Quis daret nobis vt eius carnibus impleremur? Quod Chriſtus fecit vt maiori caritate nos adſtringeret, & vt ſuum in nos oſtenderet deſiderium, non ſe tantum videri permittens deſiderantibus, ſed & tangi, & manducari. O vere bonum paſtorem, ô patrem amantiſſimum. *Quis paſtor*, idem Chryſoſtomus homil. 83. in Matthæum, *vnquam membris ſuis oues ſuas nutriuit? multæ matres poſt partum aliis nutricibus infantes dederunt, quod ipſe facere noluit, ſed proprio corpore nos alit, & ſibi coniungit, atq; conglutinat.* Hæne ergo Deum dedeceant epulæ, quas apparat tanta potentia; commendat tam mira ſapientia, condit iuſtitiæ attemperata tantæ dilectionis dulcitudo.

NEOPISTVS. Dum de ſacra cœna colloquimur, prandij obliuiſcimur.

THEODORVS. Tranſire non debeo, quod de completa iam redemtione dixiſti; completa eſt redemtio ex parte Chriſti quoad meritum; ſed non quoad executionem; meruit vt poſſimus ſalui fieri, verum id non in omnibus effecit; ſed inter alia media quibus vt ſalutem noſtram operaremur voluit, hoc

etiam

etiam ſacramentum conſtituit; quod ergo Chriſtus paſſus meruit, id paſſus efficit; fidem auget; ſpem roborat, inflammat caritatẽ. Vere magna fides eſt, non videre, & præſentem credere; ſed & ſpe optima replemur; *nam qui in hac vita ita ſe nobis exhibet, multo magis in futura*. S. Chryſoſt. hom. 46. in Ioan. amore vero quis non ardeat, qui flammam in corde geſtat; ſic amanti quis deneget amoris vicem? *Ab illa menſa*, exigit iure D. Chryſoſtomus homil. citata, *tanquam leones ignem ſpirantes ſurgamus diabolo formidoloſi, & caput noſtrum intelligamus, & quam nobis exhibuit caritatem*. Excitat nos quoq; cœleſtis hic panis, vt intime quoſuis diligamus; nam *vnum corpus multi ſumus omnes, qui de vno pane participamus*. 1. Cor. 10. Nec vlla deniq; virtus eſt, ad quam inſerendam, firmandam, perficiendam, non mira ſit huius ſacramenti efficacia; niſi eam noſtra impediat negligentia; quam dum incuſat D. Chryſoſtomus homil. 83. in Matthæum, ſacramenti ſimul prædicat præſtantiam: *quali eſca facti ſumus digni, audiamus, & horreamus; ſanctis carnibus ſuis nos dedit impleri, ſemetipſum appoſuit immolatum. Quæ nam igitur erit nobis excuſatio, cum talibus paſti talia peccemus, cũ lupi fiamus Agnum comedentes, cum tanquam oues paſti more leonum diripiamus?* Nec nutrit tantummodo, ſed & ſingulari ventrẽ dulcore

compleE

emplet diuinum hoc ferculum; cui vtiq; potius conuenit, quam Iudæorum illi manna, dictum ſapientiæ cap 16, *Subſtantia tua ducedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebat.* Deniq; hoc eximium Eccleſiæ priuilegium, hæc propria eius dignitas eſt: poſſidet veritatem, quam in figuris colebant Hebræi; hi vmbrã, illa corpus tenet; *ea re alimur, quam Angeli videntes tremunt,* S. Chryſoſtomus homil. 83. in Matthæum.

NEOPISTVS. Quamuis fidem meam non temere deſerturus ſim, te tamen libenter audio, & vt mecum prandeas rogo.

THEODORVS. Pareo, quia plura tecum loqui deſidero.

Digitized by Google

DIALOGVS SECVNDVS.

DE TRANSVBSTANTIATIONE PANIS ET VINI in corpus & ſanguinem Chriſti.

THEODORVS. NEOPISTVS.

THEODORVS. Num probantur tibi Neopiſte, quæ de vera Chriſti in ſacramento præſentia ante prandium diſſerui? aduerſus ea, ſi quid habes, prome.

NEOPISTVS. Pluris facere incipio Lutherum, quam Zuinglium & Caluinum.

THEODORVS. Itane ab vna hæreſi tranſibis ad aliam? vnde tibi hic inſedit animus?

NEOPISTVS. Chriſti verbis credam, corpus eius eſſe, quod ipſe dixit; ſed quod ex pane fiat, vt vos Catholici docetis, nec credo, nec vt credam vnquam adducar; monſtrum nominis eſt Tranſubſtantiatio, infelix Concilij Lateranenſis partus.

THEODORVS. Sic olim Arianis monſtroſa

ſtroſa vox erat ὁμοούσιος conſubſtantialis; vt & Neſtorianis vox θεοτόκος, Deipara, quia oderant fidem, quã voces illæ expreſſiſsime ſignificabant; & licet earum vocum ante Concilium Nicænum & Epheſinum tam frequens vſus non fuerit, quam poſt, non tamen erat nullus, & res per eas ſignificata ſemper in Eccleſia credebatur. Idem accidit in Tranſubſtantiationis voce, quæ à Concilio Lateranenſi minime inuenta eſt, licet deinceps Oecumenici Concilij exemplo magis frequẽtata ſit in latina Eccleſia; nam apud Græcos non quæres vocem latinam, ſed inuenies μεταποίησιν, μεταστοιχείωσιν; quæ, cum de ſubſtantijs loquimur, idẽ omnino ſunt, quod Tranſubſtantiatio; de quo nomine conuenientiſſime dixero, quod de ὁμοούσιος, conſubſtantialis ſcripſit Magnus Athanaſius, epiſt. de Synod. Arimi. & Seleuci. *Certe cum* Hæretici *omnia queant fucis lenociniisq; Sophiſmatum, adulterare, & pro libidine mutare; hanc ſolam vocem, vt quæ ipſorum adaperiat hæreſin, reformidant; quam Patres pro munimento & arce contra illorum impias commentationes in ſcripta retulerunt.*

NEOPISTVS. De voce tantum non contendam, rem loquor; in Euchariſtia abeſſe panis & vini ſubſtantiam, atq; in corpus & ſanguinem Chriſti tranſijſſe, ante dictum Late-

ranenſe Conciliabulum nunquam doctum eſt.

THEODORVS. Ne tu Conciliabulum dixeris ſanctam, œcumenicam Synodũ; in qua ante 390. annos ex Oriente & Occidente plures quã 1200. conuenerunt Epiſcopi, alijq; Eccleſiarum Prælati; quis vel huius Synodi auctoritatem, cui totus tunc orbis Chriſtianus conſenſit, non præferat Zuinglio, Luthero, & ceteris tenebrionibus?

NEOPISTVS. Nullus ſe oppoſuit?

THEODORVS. Nullus, nullus, nullus; ſed omnes vt vetus fidei dogma amplexati ſunt Patrum illorum ſententiam, in qua proferenda *nullas nobiſcum vel vobiſcum*, ô Caluiniſtæ, Lutherani, *amicitias attenderunt, vel inimicitias exercuerunt; neq; nobis, neq; vobis irati ſunt; neq; nos, neq; vos miſerati ſunt; quod inuenerunt in Eccleſia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.* Agnoſcis verba S. Auguſtini in cauſa noſtræ ſimillima à lib 2. contra Iulianum.

NEOPISTVS. Non credo mentiri Caluinum lib. 4. Inſtit. cap. 17. § 14. qui palam eſſe ſcribit vos in confirmando iſto dogmate deſtitui vetuſtatis patrocinio; neq; enim ita pridem illud excogitatum eſſe.

THEODORVS. Iam ante quingentos & plu-

plures annos Berengarius cum profiteretur realem Chriſti in ſacramento præſentiam, quam antea negauerat, tranſubſtantiationem negare cœpit; quod tanquam nouum & hæreticum dogma vniuerſa damnauit Eccleſia, idq; ipſe Berengarius in Romano Concilio ſub S. Gregorio VII. annis abhinc DXXVI. abiurauit. Audi doctiſſimum Guitmundum Epiſcopum, qui eodem tempore floruit, lib. tertio de veritate Euchariſtiæ: *iam quidem negare nequeunt ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti cibo ineſſe Dominico; panem tamen & vinum per verba Saluatoris in carnem eius & ſanguinem verti nequaquam credentes, ſed Chriſtum pani & vino commiſcentes tanquam ſubtiliori ratione hæreſin alteram condiderunt: ſed panem & vinum altaris Domini in corpus & ſanguinem Chriſti ſubſtantialiter commutari vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt.*

NEOPISTVS. Ante annos 700. ignota erat Tranſubſtantiatio.

THEODORVS. Quid ante illos annos Orientalis Eccleſia tenuerit, diſce ex Theophylacto Archiepiſcopo, per Oecolampadium tuum verſo in cap. 6. Ioan. *in carne ambulante Domino, & ex pane alimoniam admittente, panis ille qui manducabatur, in corpus eius mutabatur; igitur & nunc panis in carnem Domini mutatur. Et quomodo, inquit, non apparet nobis*

caro, ſed panis? vt non abhorreamus de eius vſu, &c. In latina Eccleſia ante 750. annos in cap. 11. prioris ad Corinth. ſcripſit Strabus: *quod ex auctoritatibus certum eſt profitemur, ſcilicet ſubſtantiam panis & vini in ſubſtantiam corporis & ſanguinis conuerti; modum vero conuerſionis nos ignorare non erubeſcimus fateri.*

NEOPISTVS. Refer qui annis abhinc 900. vixerint.

THEODORVS. In Occidente tunc floruit Beda, cuius coætaneus ſed eo iunior fuit in Oriente S. Ioannes Damaſcenus; vtrumq; produco. Beda in librum Boëtij de Trinitate: *Panis fit corpus Chriſti; tranſit enim ſubſtantia panis in corpus Chriſti.* S. Damaſcenus lib. 14. de Orthodoxa fide, cap. 14. *Panis ipſe & vinum in corpus & ſanguinem Dei immutantur. Quod ſi quo pacto fiat, requiris, ſat tibi ſit audire, quod per Sanctum Spiritum id fiat, quemadmodum & ex ſancta Dei matre per Spiritum Sanctum Dominus ſibi ipſi & in ſe ipſo carnem condidit. Nec quidquam amplius nobis perſpectum & exploratum eſt, quam quod verbum Dei verum eſt, & efficax atq; omnipotens: Nam modus eiuſmodi eſt, vt nulla ratione indagari queat. Quin ne hoc quoq; alienum fuerit dicere, quod quemadmodum naturaliter panis per cibum, & vinum & aqua per potum in comedentis & bibentis corpus & ſanguinem im-*

mutan-

mutantur, corpusq́ alterum fiunt, atq́ à priore ipſius corpore diuerſum: ſic propoſitionis (in altari propoſitus) *panis, ac vinum & aqua per Sancti Spiritus innocationem & aduentum mirabili modo in Chriſti corpus & ſanguinem vertuntur.*

NEOPISTVS. Video plane nouam non eſſe veſtram de Tranſubſtantiatione doctrinam; ſed velim audire quid ſenſerit ſeculum, quo ſanctitate & doctrina claruerunt annis abhinc 1200. multi Patres, ex Græcis Baſilius, Chryſoſtomus, Cyrilli, Gregorij; Latini vero Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, &c.

THEODORVS. Vtinam his crederes, nec te oculatiorem putares, quam fuerint Patres iſti tanta Eccleſiæ lumina. Accipe quæ eorum ſit ſententia. S. Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus, Catecheſi 4. Myſtagog. *Hoc ſciens & pro certiſſimo habens, panem hunc qui videtur à nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe corpus Chriſti; & vinum quod à nobis conſpicitur, tametſi ſenſui guſtus vinum eſſe videatur, non tamen vinum, ſed ſanguinem eſſe Chriſti.* S. Ambroſius Mediolanenſis Archiepiſcopus cap. 9. de his qui initiantur; *Forte dicas: aliud video, quomodo tu mihi aſſeris quod Chriſti corpus accipiam. Et hoc nobis adhuc ſupereſt vt probemus. Probemus non*

hoc eſſe quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit, maioremq́; vim eſſe benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur. Quod ſi tantum valuit ſermo Heliæ vt ignem de cœlo deponeret, non valebit Chriſti ſermo, vt ſpecies mutet elementorum? Sermo Chriſti, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt, in id mutare quod non erant? Et lib. 4. de Sacram. c. 4. *Panis iſte panis eſt ante verba ſacramentorum, vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti.* S. Baſilius in Liturgijs ex Arabico conuerſis: *Hunc panem facit corpus ſuum &c.* S. Gregorius Theologus in Liturg. *Tu Domine verbo tuo in teipſum commutas hæc quæ ſunt propoſita.* S. Gregorius Baſilij frater, orat. catecher. c. 37. καλῶς οὖν καὶ νῦν τὸν τῷ λόγῳ τοῦ θεοῦ ἁγιαζόμενον ἄρτον εἰς σῶμα τοῦ θεοῦ λόγου μεταποιεῖσθαι πιστεύομεν: Recte igitur nunc quoq; panem qui verbo Dei conſecratur, in corpus Verbi Dei tranſmutari credimus: quod poſtea explicat exemplo panis à Chriſto ante mortem ſuam in nutrimentum aſſumti, qui in diuini corporis ſubſtantiam conuerſus eſt; ac tandē ſubdit: ταῦτα δὲ δίδωσι τῇ τῆς εὐλογίας δυνάμει πρὸς ἐκεῖνο μεταστοιχειώσας τῶν φαινομένων τὴν φύσιν. Hæc autem dat benedictionis virtute, in illud tranſelementata, ſeu vt nos loquimur, tranſubſtantiata rerum apparentium (panis & vini) natura. B. Gaudenti-

dentius tract. 2. de Exodo; *Qui producit de terra panem, de pane rurſus, quia & poteſt, & promiſit, efficit proprium corpus; & qui de aqua vinum fecit, de vino ſanguinem ſuum facit.* S. Hieronymus in cap. 5. Sophoniæ; *De frumento ſiue tritico efficitur ille panis: qui de cœlo deſcendit.* S. Chryſoſtomus homil. 83. in Matthæum, de Christo ſcribit: *qui hæc* (τὰ προκείμενα panem & vinum) *ſanctificat & tranſmutat, ipſe eſt.* S. Auguſtinus ſerm. 28. de verbis Domini: *Dixi vobis, quod ante verba Chriſti, quod offertur, panis dicatur; vbi Chriſti verba depromta fuerint, iam non panis dicitur, ſed corpus appellatur.*

NEOPISTVS. Neſcio quomodo de Patribus tecum colloqui cœperim, & ſcripturæ ſacræ quaſi oblitus fuerim.

THEODORVS. Et Patres ſcientiſſimi Scripturæ ſacræ erant, cui nunquam aduerſantur, quæ illi tam vnanimiter tradiderunt.

NEOPISTVS. Quomodo ex Scriptura Tranſubſtantiationem probas?

THEODORVS. Ex verbis inſtitutionis; *Hoc eſt corpus meum* &c. Nam pronominis demonſtratiui HOC ea vis & proprietas eſt, vt deſignet ſubſtantiam proxime accidentibus ſuppoſitam; quare ſi panis ſubſtantia poſt conſecrationem remaneret, ea diceretur corpus Chriſti; qui apertus foret error: quis enim panem eſſe carnem dixerit, ſi proprie lo-

quamur? nec à proprio verborum ſenſu deuiandum eſt, niſi ad tropum vel figuram nos trahat fidei regula. Noui quoſdam tropos nimia loquentium conſuetudine proprij quaſi ſenſus vicem obire, vt cum res, quæ natura ſua, vſu, vel arte ad aliud continendum idoneæ ſunt, accipiuntur pro rebus contentis, vt ſi dolium oſtendens dicat, hoc eſt vinum ex mea vinea &c. Sed panis inter vaſa, vel eiuſmodi continentia minime eſt; vt omittam vſitatiſſimis etiam tropis præferendam verborum proprietatem, ſi ea nihil fidei, vel bonis moribus aduerſum contineat. Adeo vero tranſubſtantiatio panis & vini in corpus & ſanguinem CHRISTI ſanæ fidei non aduerſatur, vt à tota vbiq; Eccleſia recepta, ſemperq; credita ſit, vt iam oſtendi.

NEOPISTVS. Atqui & in Scripturis, & à Sanctis Patribus Euchariſtia ſępius expreſſe dicitur panis, & vinum.

THEODORVS. Recte ſic appellantur, modo recte intelligatur. Primo enim panis (& eadem de vino dicta volo) nominatur ante conſecrationem: vt cum Euangeliſtæ narrant, CHRISTVM accepto pane dixiſſe, HOC EST CORPVS meum; panem acceperat, ſed quem per hæc ipſa verba in corpus ſuum mutaret: *Antequam conſecretur,*

tur, inquit S. Ambroſius, *panis eſt*; *vbi autem verba Chriſti acceſſerint, corpus eſt Chriſti*; *& ante verba Chriſti, calix eſt vini & aquæ plenus*; *vbi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit.* lib. 4. de Sacram. cap. 5. Secundo dicitur panis etiam poſt conſecrationem; ea phraſi qua res denominantur ab eo quod erant, non quod iam ſunt. Exodi 7. de ſerpentibus in quos commutatæ fuerant virgæ ſcribit Moſes; *deuorauit virga Aaron virgas eorum*; Et homini quia ex terra ſumtus eſt, dicitur Eccleſiaſtici 10. *Quid ſuperbit terra & cinis?* Ioannis 2. Architriclinus dicitur guſtaſſe aquam vinũ factam; qui guſtauit vinum ex aqua factum; & cap. nono ſcribit idem Euangeliſta: *dicunt ergo cæco iterum*; qui cæcus tunc non erat, ſed ante fuerat. Tertio panis dicitur ab externa ſpecie & accidentibus, quomodo Angeli humana forma apparentes dicuntur viri; Geneſis 18; & alibi frequenter Cherubim, boues &c. appellantur harum rerum imagines; panis autem accidentia non ficta tantum imago ſunt, ſed & ante in pane vere inerant; & nunc ſolius fidei oculis ab eo ſeparata diſcernuntur, quæ panem vocare licebit, ſi credas benedictionis gratia abeſſe ſubſtantiam, quæ naturaliter ſubeſſe ſolet. Quarto, panis dicitur ſpecies

panis

panis ab effectu; quia non minus nutrit corpus, quam ſi ſubeſſet panis ſubſtantia: nam qui pauco pane pauit plura millia hominum, poteſt etiã ſine panis ſubſtantia nutrire quos vult, ſicut vult, vt eadem ſpeciebus à ſubſtantia panis ſeparatis maneat vis, & nutriendi efficacia, quod ad oculendum myſterium, maiuſq; fidei noſtrę exercitium ac præmium ſeruit, & requiritur. *Sic debuit*, ait Paſchaſius cap. 13. de corpore & ſanguine Domini, *hoc myſterium temperari, vt & arcana ſecretorum celarentur infidis, & meritum creſceret de virtute fidei, & nihil deeſſet interius vere credentibus promiſſa virtutis.* Quinto, Panis dicitur ſacra hoſtia ab effectu ſpirituali, quia alit & ſuauiſſime reficit cor & animum hominis. Panis eſt, ſed ſpiritualis; *Ego ſum panis*, inquit Chriſtus, *qui de cœlo deſcendi. Ipſe eſt panis*, ait S. Chryſologus ſermone 67. *qui ſatus in Virgine, fermentatus in carne, in paſſione confectus, in fornace coctus ſepulchri, in Eccleſiis conditus, illatus altaribus cœleſtem cibum quotidie ſubminiſtrat.* Et S. Cyprianus ſermone de cœna Domini; *Sicut panis communis, quem quotidie edimus, vita eſt corporis: ita panis iſte ſuperſubſtantialis vita eſt animæ, & ſanitas mentis.* En quot modis ſatis fit argumento, quod vnicum ex Scripturis & Patribus tui proferunt!

NEOPISTVS. Non videris legiſſe, quam forti-

fortibus rationibus Tranſubſtantiationem oppugnemus.

THEODORVS. Non videris animaduertere, quod fidei dogma ab vniuerſa Eccleſia receptum ideo maxime à veſtris negetur, quia non tam clare intelligitur, cum tamen Patres, vt ex S. Damaſceno audiuiſti, fidei requirant obedientiã, qua intellectus captiuatur vt credat, licet tam plene non intelligat. Sed audiam quæ te rationes à fide retardent.

NEOPISTVS. Corpus Chriſti nec de cœlo, nec aliunde adducitur, nec de nouo producitur; quomodo ergo præſens fit?

THEODORVS. Ad modum, quo præſens fit tam exacte ſciendum non teneris; ſicut nec ad intelligendum modum, quo à Patre & Filio procedit S. Spiritus. Recte de hoc ſacramento Theophylactus in cap. 6. Ioan.: *Quando cogitationes incredulitatis ingrediuntur in animã, ingreditur ſimul Quomodo? oportet igitur nos, cum audiuerimus; niſi ederitis carnem filij &c. indubitatam habere fidem, & non quærere, quo pacto?*

NEOPISTVS. Si præſens eſt Chriſtus, vel hîc productus, vel aliunde adductus ſit oportet; ſed vtrumq; manifeſte falſum eſt.

THEODORVS. Admitto de tali productione; vel adductione, qualem tu tibi imaginaris ſenſibus adhæreſcens.

NEOPISTVS. Corpus Chriſti iam ante eſt; ergo nullatenus producitur.

THEODORVS. Hoc ſequitur: Ergo non de nouo producitur; tuam vero conſequentiam infirmam eſſe probat hæc ſimillima, & falſa: Verbum DEI ab æterno eſt; ergo hodie non producitur, vel gignitur. Aduertis ne ad productionis rationem non pertinere, vt aliquid de nouo fiat; vel eſſe incipiat, quod antea non erat? Nec tu me vnquam erroris conuinces, ſi credam corpus CHRISTI iterato quaſi non proprie omnino produci, & Eſſe ſuum recipere ad modum, quo omnes creaturæ ſuum Eſſe & ſubſtantiam iterum atq; iterum à DEO conſeruante accipiunt. Profecto Paſchaſius cap. quarto, de corpore & ſanguine CHRISTI; atq; ante eum S. Cyprianus ſerm. de cœna Domini, S. Ambroſius lib. quarto de ſacramentis, cap. quarto dicere non verentur in hoc ſacramento corpus CHRISTI creari; non quod proprie dicta interueniat creatio, ſed hoc nomine effectionem innominatam, & ineffabilem inſigniunt.

NEOPISTVS. Compelleris itaq; fateri corpus CHRISTI iterum quaſi, licet minus proprie, produci.

THEODORVS. Non compellor; ſed id incredibile, vel DEO impoſſibile eſſe non

indi-

iudico; quamuis ad tuendum Tranſubſtantiationis dogma non ſit neceſſarium. Ad hoc enim ſufficit credere, quod corpus Chriſti ſub ſpeciebus vice ſubſtantiæ panis præſens fiat: tameſi ipſum ſecundum ſe non fiat?

NEOPISTVS. Num è cœlo per aêrem ad vos defertur?

THEODORVS. Minime. nos quidem ad loca diſtantia nõ pertingimus, niſi per ea, quæ interiacent, tranſeamus; at Chriſtus ſine motu in inſtanti poteſt corpus ſuum ponere, vbicunq; vult, non tranſeundo loca media. *vbi volet ſpiritus, ibi protinus erit corpus*, ait de quibuſuis Beatorum corporibus S. Auguſtinus libro vigeſimo ſecundo de ciuit. DEI. cap. triceſimo, & tu negabis ad nos deſcendere poſſe Chriſtum, niſi per aërem tranſuehatur?

NEOPISTVS. Si deſcendit; ergo non manet in cœlo.

THEODORVS. Deſcendere dicitur, non quod cœlum deſerat, ſed quia idem, qui in cœlo eſt, in terris ſub ſpeciebus Euchariſtiæ ſe præſentat; quo modo DEI Filius deſcendiſſe dicitur, quando, qui in cœlo regnat, cum hominibus inuentus eſt, Ioan. tertio & ſexto. ita etiam hodie qui in cœlo reſidet, nobis ſe in cibum præbet. Nos cum ex

alto

alto deſcendimus, locum altiorem deſeri-mus, quia pluribus locis adeſſe humana vir-tute nequimus; ſecus accidit in corpore, quod Dei potentia in multis locis conſtituitur. qua enim neceſſitate cœlo abiret Chriſtus quan-do ad nos venit, cum ſimul & in cœlo, & in varijs terræ locis præſens eſſe queat; quod fieri poſſe ante prandium tibi probaui, tuq; ipſe mihi aſſenſus es. Intelligis ne quomo-do admittamus Chriſtum è cœlo quaſi addu-ci, & tamen nec cœlum relinquere, nec per loca interiacentia deſcendere?

NEOPISTVS. Non capio perfecte, ad aliud vero argumentum tranſeo.

THEODORVS. Senſu conaris capere, quod inprimis fide tenendum eſt, ſed, vt vis, perge.

NEOPISTVS. Commune Philoſopho-rum decretum eſt, materiam primam ingene-rabilem eſſe, & incorruptibilem; at ſecundum vos tota ſubſtantia, atq; adeo materia quoq; panis eſſe deſinit.

THEODORVS. Quis vnquam Chriſtia-nus Philoſophus negauit materiam primam à Deo factam, eiuſq; nutu deſtrui poſſe? vnde cum ingenerabilis & incorruptibilis dicitur, id intelliges reſpectu agentium creatorum; creatoris vero voluntati nihil eorũ quæ crea-uit, reſiſtere poteſt.

NEO-

NEOPISTVS. Certe multum iam materiæ moles imminuta ſit oportet, ſi vobis credimus.

THEODORVS. Forte times ne mundus pereat; confide, quantum materiæ deperit virtute benedictionis, tantundem redditur, quando corruptis panis ſpeciebus, ſub illis corpus Chriſti eſſe deſinit.

NEOPISTVS. An non cõtingere poteſt, vt quæ panis erat materia, olim hominis alicuius fuerit? illa ergo pereunte tollitur corporis reſurrectio.

THEODORVS. Quaſi vero Deus prouidere nequeat, ne vllius hominis tota aut multa materia, quam vitæ curſu habuit, pereat; ſicut prouidere poteſt ne inter anthropophagos materia vnius hominis ita tranſeat in ſubſtantiam aliorum quibus in cibum cedit, vt corporum impediatur reſurrectio; ad quã minime pertinet, vt homo habeat omnem materiam, quam vnquam habuit; quin monſtroſe vaſtum redderetur corpus, ſi ſenex reciperet, quidquid materiæ habuit, dum puer, adoleſcens, vir eſſet; nec requiritur vt habeat illam totam, vel ſolam materiam, quam habuit tempore mortis; totam non requiri docet S. Auguſtinus exemplo anthropophagorum; contingere enim poteſt, vt quis moriatur, in cuius ſubſtantiam tranſierit caro cadaueris ab

illo deuorati, in quo caſu putat S. Auguſtinus, carnem illam redditum iri homini in quo eſſe caro humana primitus cœpit; alterum vero illius vice recepturum carnem, quam aliquando habuit, ſed naturali calore decoctam perdidit; nec futurum porro, vt omnes ſolam illam materiam habeant, quam in hac vita habuerunt, conſtat ex iis, qui in vtero matris, vel infantes moriuntur, & reſurgent in corpore virili. Quæ omnia ſatis declarant, quam infirmum ſit tuum argumentum; ſummatim tibi reſpondere poteram, vel nunquam futurum, vt per tranſubſtantiationem pereat materia ad corporum reſurrectionem neceſſaria; vel ſi id admittatur, DEVM eandem materiam reſtituturum; Recte S. Auguſtinus libro viceſimo ſecundo, de Ciuitate DEI, cap. 20. de carne humana ſcribit: *Etſi omnibus periiſſet modis, nec vlla eius materies in vllis naturæ latebris remanſiſſet, vnde vellet, eam repararet omnipotens.*

NEOPISTVS. Cum corpus Chriſti deſinit eſſe præſens, quo vadit? num in cœlum volat, vel in nihilum redigitur?

THEODORVS. Neutrum fit, ſed hoc loco eſſe deſinit; id intelliges exemplo hominis cui manus abſcinditur; anima in manu abſciſſa non remanet, nec regreditur ad brachium, in quo iam eſt, nec in nihilum redigitur.

gitur, cum in toto reliquo corpore maneat, & natura ſua immortalis ſit. Simillime deſtructis ſpeciebus, Chriſti corpus ſub iis eſſe deſinit, non alio migrat, nec annihilatur, cum idem in cœlo exiſtat, & pluribus aliis locis in ſacramento præſens maneat.

NEOPISTVS. Si humanitas deſinit eſſe præſens, cum præſens maneat diuinitas, ſequitur Dei cum natura humana vnionem ſolui.

THEODORVS. Ad vnionem duarũ naturarum minime requiritur, vt vbicunq; vna præſens eſt, ibi maneat & altera; nam & anima ſubſtantialiter vnita eſt cerebro; num tu quia animam in pede habes, etiam cerebrũ in pede habebis? quæ contra Vbiquiſtas dico.

NEOPISTVS. Odi ego quoq; Vbiquiſtarum inſaniam.

THEODORVS. Tuum ergo argumentũ oderis neceſſum eſt. Nam ſi cõſiſtit vnio vtriuſq; naturæ, licet Diuinitas ſit in 1000. locis præſens, in quibus nõ eſt humanitas; nec vnio illa dirimetur, quãuis alicubi deſinat eſſe præſens humanitas, vbi manet diuinitas. Nato Chriſto in vtero Virginis nõ manſit humanitas, à quo minime abfuit Diuinitas; ex Galilæa tranſiit in Iudæam, vtrobiq; manſit Deitas, nec tamen hypoſtatica diſſoluta eſt vnio; ad quã ſufficit, quod alicubi natura humana vniatur Verbo; quod vnum, indiuiſum, præſens vbiq; eſt.

Neopistvs. Non diſputo de hoc; ſed dic mihi, cur opus erat, vt ſubſtantia panis cederet, an non poterat Cvm, In, & Svb ea corpus Chriſti eſſe?

Theodorvs. Non quærimus quid poſſit eſſe, ſed quid Chriſtus eſſe voluerit: noluiſſe autem vt panis maneret, ex verbis eius & perpetua Eccleſiæ traditione diſcimus; nec hæc Chriſti voluntas ſine myſterio eſt.

Neopistvs. Quid quæſo fingis myſterij?

Theodorvs. Nihil fingo; ſed multo minora dico, quam re ipſa ſubſint arcana; accipe tamen quæ mihi occurrunt. Magnalium Dei ſummam & anacephalæoſin continet panis & vini in Chriſti corpus & ſanguinem conuerſio; creationis enim, conſeruationis, ſapientiſſimæ mundi adminiſtrationis ac prouidentiæ, quæ ſingulariter in maximis eluxit miraculis, & rerum quoq; conuerſionibus; inſuper incarnationis Chriſti, eiuſq; nobiſcũ habitationis ſymbolũ atq; argumentũ eſt hoc Tranſubſtantiationis myſterium; ita vt qui illud credit, compendio quodam ceterorum omnium fidem profiteatur.

Neopistvs. Quæ dicis non intelligo.

Theodorvs. Audi: Tranſubſtantiationis fide proteſtamur eundem qui ſolo verbo creauit omnia, creata cõſeruat, & moderatur, hodie

hodie quoq; per verba ſua ſuum corpus & ſanguinem ſiſtere in terris, ſimul conſeruare in cœlo; eius nutui primæua rerum materia paret, ac mundi conditorem manifeſtat: proteſtamur, accidentia quæ naturalem cum ſubſtantijs ſuis ſocietatem habent, non tam ſubſtantiæ virtute ſuſtentari, quam manu omnipotentis, qui ea etiam ſine ſubſtantia conſeruare poteſt integra, illiſq; omnem vim & effectum communicare, quem ſubſtantiæ coniuncta haberent: profitemur hic Dei eſſe digitum, quo tot admiranda ſæpenumero patrata ſunt; vt aquam funderet petra repente, vbi ante non erat, profluentem; & ſimilia ſexcenta. Præterea profitemur ex pane etiamnum fieri corpus, quod iam antea ex caſtiſſimæ virginis ſanguine aſſumtum, & quodam modo ex pane quoq; fuerat. intelligamus quod dicitur; nam ſanguis ex alimento naſcitur; *alimentum autem homini præcipue eſt panis, & ad humoris conſeruationem potus, non ipſa ſola aqua*, (S. Gregorius Nyſſenus Orat. Catechet. cap. 37. οὐκ αὐτὸ μόνον τὸ ὕδωρ, ἀλλ᾽ οἴνῳ πολλάκις ἐφηδυνόμενον) *ſed quæ ſæpe vinum diluendo exhilarat ad interioris caloris noſtri ſubſidium. qui ergo ad ea aſpicit*, (πρὸς τὸν ὄγκον τοῦ ἡμετέρου σώματος βλέπει) *ad maſſam ſeu molem noſtri corporis aſpicit. nam cum illa in me fuerint, fiunt ſanguis & corpus nutrimento per vim alte-*

randi congruenter redacto ad formam corporis. Ex ſanguine ergo formatum erat Chriſti corpus, ſed vnde ſanguis? ex pane. Similiter in curſu vitæ idem corpus pane nutriebatur, & quod puſillum in vtero benedictæ matris iacebat, in virilem ſtaturam excreſcebat: ad horum memoriam conſeruandam, ad eaq; repræſentanda, quid aptius eſt, quam Tranſubſtantiationis myſterium? Dixi pauca, latent plura, quæ necdum in meum, nec in alterius forte cor deſcenderunt.

NEOPISTVS. Hæc vt altius conſiderē, tempus cōcede, requieſcam paululum, poſtea me denuo attentum habebis.

DIALOGVS TERTIVS.

DE SENSV ET EFFICACIA VERBORVM Chriſti, quibus Euchariſtia conficitur.

THEODORVS. NEOPISTVS.

THEODORVS. Neſcio qua de cauſſa veſtri homines in cœnæ adminiſtratione parui faciant Chriſti verba: *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*; ſine quibus tamen Euchariſtia non conficitur; quin ea non verentur incantatoriam demurmurationem, magicam adiurationem appellare.

NEOPISTVS. Non omittimus hæc verba.

THEODORVS. In agendis Heydelbergenſibus, alijſq; inuenio quidem ea ex S. Paulo referri inter concionandum; ſed in ipſa diſtributione cœnæ omittuntur, cũ tamen tunc primum, & non ante, panis ſit veſtra ſententia ſacramentum.

NEOPISTVS. Nuſquam Chriſtus iuſſit verba illa ſuper panem & vinum recitare; panem frangere & calicem Domini bibere iuſſi ſumus, Non verbis, ſed vſu fit ſacramentum.

Digitized by Google

THEODORVS. Hæc noua hæreſis eſt.

NEOPISTVS. Eadem vetus docuit Eccleſia.

THEODORVS. Erras; quod ex Græcis, Latiniſq; Patribus oſtendo. S. Irenæus Martyr lib. 5. cap. 2. *Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti.* Huc, quod Apoſtolus 1. Tim. 4. de quauis creatura dixit; *ſanctificatur per verbum Dei & orationem*; huc inquam verba Apoſtoli accommodat S. Gregorius Nyſſenus Orat. catechet. capite 37. ὁ ἄρτος, καθώς φησιν ὁ ἀπόστολος, ἁγιάζεται διὰ λόγου θεοῦ καὶ ἐντεύξεως, οὐ διὰ βρώσεως προϊὼν ἐις τὸ σῶμα γενέσθαι τοῦ λόγου, ἀλλ' ἐυθὺς πρὸς τὸ σῶμα διὰ τοῦ λόγου μεταποιούμενος, καθὼς ἔιρηται ὑπὸ τοῦ λόγου, ὅτι τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. *Hic panis, ſicut dicit Apoſtolus, ſanctificatur per verbum Dei & orationem, non per manducationem procedens in corpus Verbi, ſed ſtatim in corpus per verbum tranſmutatur, ſicut dictum eſt à Verbo; quia hoc eſt corpus meum.* S. Ambroſius. *Quod ſi tantum valuit humana benedictio, vt naturam* (ferri, quod ſupra aquas natarat. 4. Reg. 6.) *conuerteret, quid dicimus de ipſa conſecratione Diuina, vbi verba ipſa Domini Saluatoris operantur? nam ſacramentum iſtud quod accipis, Chriſti ſermone conficitur.* cap. 9. de ijs qui initiantur, &c. S. Chryſoſtomus ſerm.

de

Digitized by Google

de prodit. Iudæ: *Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute conſecrantur, & gratia: Hoc eſt, ait, corpus meum: hoc verbo propoſita* (panis & vinum) *conſecrantur.* S. Auguſtinus, ſerm. 28. de verbis Domini: *Ante verba Chriſti, panis dicitur; vbi Chriſti verba depromta fuerint, iam non panis, ſed corpus appellatur.* Similia ex S. Auguſtino refert Gratianus diſt. 2. de conſecrat, cap. 41. *Cum fideliter fateamur ante conſecrationem eſſe panem & vinum, quod natura formauit; poſt conſecrationem vero Chriſti carnem & ſanguinem, quod benedictio conſecrauit.* Addo B. Ioannem Damaſcenum, ex quo etiam diſcent hæretici, vbi verba illa; *Hoc eſt corpus meũ*, ; proferre in ſcriptura iubeamur; quamuis fidelibus ſatis ſit vetus traditio: ſic autem Damaſcenus lib. 4. de Orthodoxa fide, cap. 14. *Dixit Deus: Hoc eſt corpus meum; &, Hic eſt ſanguis meus; &, Hoc facite in meam commemorationem; atq; omnipotenti eius pracepto, donec ipſe veniat, hoc efficitur.*

NEOPISTVS. Vis ne vt credam vi illorũ verborum panem tranſire in Chriſti corpus?

THEODORVS. Hanc ipſam veram fidẽ eſſe iam teſtes audiuiſti SS. Patres; verba enim Chriſti quaſi inſtrumentum ſunt Tranſubſtantiationis.

NEOPISTVS. Quid ergo in his verbis; *Hoc eſt corpus meum*; ſignificat pronomen

Digitized by Google

HOC? non aliud quam panem, qui vtiq; non proprie, ſed figurate tantum dici poteſt caro.

THEODORVS. Nego pronomine *HOC* determinari panem.

NEOPISTVS. Aperte probo: vox *HOC*, ſimulatq; effertur, ſignificat rem aliquã præſentem; at vos ipſi dicitis, corpus Chriſti non fieri præſens antequam omnia illa verba prolata ſint; ergo non poteſt deſignari per vocem *HOC*.

THEODORVS. Pronomen *HOC*, cum profertur, non demonſtrat rem aliquam ſingularem, ſed rationem quaſi communem, quæ per verba ſequentia determinatur: deſignat inquam, vox *HOC*, rem contentam ſub accidentibus panis indeterminate, & vage, donec per cetera verba definiatur & vt ſic dicam, particulariſetur. Eodem modo ſi oſtendens marſupium auro plenum dicat; Hoc eſt meum aurum; vox Hoc, dum proferebatur, non ſignificabat definite auri ſubſtantiam; ſed vel hanc, vel ipſum marſupium; ad alterutrum autem determinatur vi prædicati; eſt meum aurum; vel, eſt meum marſupium. Hinc fit vt, qui audiunt alterutram enunciationem, non poſſint certo ſcire initio orationis, quid nam Hoc determinate ſignificet, quod ſcirent, ſi pronomen rem totam mox manifeſtaret. Quæ

dixia,

dixi, vt oſtenderem plenam demonſtratiui Hoc ſignificationem pendere à reliqua oratione, non quod Christi corpus aſſeram ea ratione, modoq; ſub ſpeciebus contineri, ſicut aurum in marſupio, quæ comparatio falſa foret, nec intenta eſt.

Neopistvs. Euaſiſti, ſed fortius te conſtringam. Verba iſta: *Hoc eſt corpus meum*; dicis eſſe cauſam præſentiæ Christi; ſed cauſa, ſi non tempore, ſaltem naturâ prior eſt, quam effectus, quod in propoſito non contingit.

Theodorvs. Proba id non contingere.

Neopistvs. Si verba cauſant, quod ſignificant, vera ſint oportet; ſed non ſunt vera, cum Chriſtus primum poſt ea prolata præſens fiat, quando verba non amplius exiſtunt, & conſequenter nec vera ſunt.

Theodorvs. Omnino vera ſunt verba, prius tamē naturâ cauſant, quam vera ſint; ſicut prius ſignificant; nam veritas eſt accidens orationis quod eidem orationi modo conuenit, modo non conuenit; prior ergo eſt orationis natura, quam ſit eius veritas; prius eſt orationem ſignificare, quam vere ſignificare. nam hæc oratio; iam pluit, ſemper aliquid ſignificat, ſed non ſemper vere. In noſtro ergo propoſito, eadē oratio ſimul & ſignificat,

ficat,& operatur, & vera eſt; ſed naturâ,vt loquuntur Philoſophi,prius ſignificat,quam operetur,prius operatur,quam vera ſit.

NEOPISTVS. Quomodo operatur, vel vera eſt,quando iam tranſiit?

THEODORVS. Operatur, & vera eſt in inſtanti vltimo orationem complente & terminante.

NEOPISTVS. Sed in illo inſtante non eſt amplius.

THEODORVS. Imo vero nunquam fuit verius orationem eſſe, quam in illo inſtanti. An ignoras quod ſciunt, qui vel primis labris Philoſophiam deguſtarunt, aliam rerum permanentium, aliam ſucceſſiuarum conditionẽ eſſe. Res permanentes quidquid ſunt, ſimul ſunt; res vero ſucceſſiuæ,vt tempus & oratio, nequeunt ſimul eſſe,ſed tunc recte & proprie dicuntur eſſe, quando ſecundum aliquid ſui exiſtunt, quis hominum,nedum Philoſophorum negat tempus eſſe, diem eſſe, eo quod nunquam ſint,niſi ſecundum inſtans; inſtans autem temporis non eſt hora, non dies, non tempus. Sicut ergo dicimus,& Philoſophice dicimus, iam eſt hora duodecima; quando hora eſt completa,quæ aliter eſſe nequit,cum naturâ ſit Ens ſucceſſiuum;ita oratio tunc eſt, quando vltimum ſuum terminum conſequitur; & ſicut plena vnius horæ continuitas eſt

in

Digitized by Google

in termino horæ, nec prius; ita perfecta vnius orationis ſignificatio, in qua fundatur veritas vel falſitas, non ante habetur, quam completa ſit oratio. Hæc ſi non intelliges, næ tu in Philoſophia valde peregrinus es. Profecto ſi tuæ non futiles eſſent argutiæ, probarent Chriſtum nõ potuiſſe vllam rem virtute vocis ſuæ in aliam conuertere; num tu negabis illum potuiſſe his verbis, Hoc eſt vinum, aquam in vinum conuertere?

NEOPISTVS. Non nego.

THEODORVS. Cur ergo verba ſimilia, & (vt S. Ambroſius loquitur) operatorium ſermonem Dei in iudicium vocas?

NEOPISTVS. Dicitis verba operari, quod ſignificant; ſed ea quibus panis conſecratur, ſignificant tantum corpus, non ſanguinem, non animam; ſine quibus corpus Chriſti præſens eſſe nequit.

THEODORVS. Verum eſt virtute verborum tantummodo corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, & ſanguinem ſub ſpeciebus vini præſentia fieri, cetera autem adeſſe per concomitantiam, quia à corpore inſeparabilia ſunt; ſcimus enim *quod Chriſtus reſurgens à mortuis, iam non moritur*, Rom. 6. quare vbicunq; corpus eius eſt, viuum eſt & animatum; nec abeſſe poteſt diuinitas; nam *omnis Spiritus qui ſoluit Ieſum*, (naturam diuinam ab humana) *ex Deo non eſt*. 1. Ioan. 4. NEO-

Digitized by Google

quod omnia viuificat; quoniam autem eſt corpus vita, viuificum eſt. Corpus Filij Dei eſt, non Patris; non Spiritus Sancti; quare illud ſumens ſumit Dei Filium, non manducat Patrem, non Spiritum Sanctum.

NEOPISTVS. Iam ſerus eſt veſper, ſi cras ad me redires, de alijs quibuſdam articulis te audirem; probabo enim omnia, vt quod bonum eſt teneam.

Digitized by Google

DIALOGVS QVARTVS.

DE VSV SACRAMENTI EVCHARISTIÆ SVB vna ſpecie.

THEODORVS. NEOPISTVS.

THEODORVS. Reuerto ad te, vt pollicitus ſum.

NEOPISTVS. Amice facis; ego ea de quibus heri colloquuti ſumus, tota nocte mecum volui; & parum abfuit, quin me catholicum haberes.

THEODORVS. Quid obſecro me hoc priuauit gaudio, quo perfunderer, ſi ad fidem catholicam, extra quam ſalus non eſt, redires.

NEOPISTVS. Non potui decoquere, quod contra expreſſam Christi Domini inſtitutionem & præceptum apud vos Laici vſu calicis priuantur.

THEODORVS. Videris pro eodem ſumere inſtitutionem & præceptum; cum tamẽ latius pateat inſtitutionis nomen, quam præcepti.

quod omnia viuificat; quoniam autem eſt corpus vita, viuificum eſt. Corpus Filij Dei eſt, non Patris; non Spiritus Sancti; quare illud ſumens ſumit Dei Filium, non manducat Patrem, non Spiritum Sanctum.

NEOPISTVS. Iam ſerus eſt veſper, ſi cras ad me redires, de alijs quibuſdam articulis te audirem; probabo enim omnia, vt quod bonum eſt teneam.

DIALO-

DIALOGVS QVARTVS.

DE VSV SACRAMENTI EVCHARISTIÆ SVB vna ſpecie.

THEODORVS. NEOPISTVS.

THEODORVS. Reuerto ad te, vt pollicitus ſum.

NEOPISTVS. Amice facis; ego ea de quibus heri colloquuti ſumus, tota nocte mecum volui; & parum abfuit, quin me catholicum haberes.

THEODORVS. Quid obſecro me hoc priuauit gaudio, quo perfunderer, ſi ad fidem catholicam, extra quam ſalus non eſt, redires.

NEOPISTVS. Non potui decoquere, quod contra expreſſam Chriſti Domini inſtitutionem & præceptum apud vos Laici vſu calicis priuantur.

THEODORVS. Videris pro eodem ſumere inſtitutionem & præceptum; cum tamē latius pateat inſtitutionis nomen, quam præcepti.

quod omnia viuificat; quoniam autem eſt corpus vita, viuificum eſt. Corpus Filij Dei eſt, non Patris; non Spiritus Sancti; quare illud ſumens ſumit Dei Filium, non manducat Patrem, non Spiritum Sanctum.

NEOPISTVS. Iam ſerus eſt veſper, ſi cras ad me redires, de alijs quibuſdam articulis te audirem; probabo enim omnia, vt quod bonum eſt teneam.

DIALO-

Digitized by Google

DIALOGVS QVARTVS.

DE VSV SACRAMENTI EVCHARISTIÆ SVB vna ſpecie.

THEODORVS. NEOPISTVS.

THEODORVS. Reuerto ad te, vt pollicitus ſum.

NEOPISTVS. Amice facis, ego ea de quibus heri colloquuti ſumus, tota nocte mecum volui; & parum abfuit, quin me catholicum haberes.

THEODORVS. Quid obſecro me hoc priuauit gaudio, quo perfunderer, ſi ad fidem catholicam, extra quam ſalus non eſt, redires.

NEOPISTVS. Non potui decoquere, quod contra expreſſam Chriſti Domini inſtitutionem & præceptum apud vos Laici vſu calicis priuantur.

THEODORVS. Videris pro eodem ſumere inſtitutionem & præceptum; cum tamẽ latius pateat inſtitutionis nomen, quam præcepti.

quod omnia viuificat; quoniam autem eſt corpus vita, viuificum eſt. Corpus Filij Dei eſt, non Patris; non Spiritus Sancti; quare illud ſumens ſumit Dei Filium, non manducat Patrem, non Spiritum Sanctum.

NEOPISTVS. Iam ſerus eſt veſper, ſi cras ad me redires, de alijs quibuſdam articulis te audirem; probabo enim omnia, vt quod bonum eſt teneam.

DIALO-

Digitized by Google

DIALOGVS QVARTVS.

DE VSV SACRAMENTI EVCHARISTIÆ SVB vna ſpecie.

THEODORVS. NEOPISTVS.

THEODORVS. Reuerto ad te, vt pollicitus ſum.

NEOPISTVS. Amice facis, ego ea de quibus heri colloquuti ſumus, tota nocte mecum volui; & parum abfuit, quin me catholicum haberes.

THEODORVS. Quid obſecro me hoc priuauit gaudio, quo perfunderer, ſi ad fidem catholicam, extra quam ſalus non eſt, redires.

NEOPISTVS. Non potui decoquere, quod contra expreſſam Chriſti Domini inſtitutionem & præceptum apud vos Laici vſu calicis priuantur.

THEODORVS. Videris pro eodem ſumere inſtitutionem & præceptum; cum tamē latius pateat inſtitutionis nomen, quam præcepti.

ficat, & operatur, & vera eſt; ſed naturâ, vt loquuntur Philoſophi, prius ſignificat, quam operetur, prius operatur, quam vera ſit.

NEOPISTVS. Quomodo operatur, vel vera eſt, quando iam tranſiit?

THEODORVS. Operatur, & vera eſt in inſtanti vltimo orationem complente & terminante.

NEOPISTVS. Sed in illo inſtante non eſt amplius.

THEODORVS. Imo vero nunquam fuit verius orationem eſſe, quam in illo inſtanti. An ignoras quod ſciunt, qui vel primis labris Philoſophiam deguſtarunt, aliam rerum permanentium, aliam ſucceſſiuarum conditionē eſſe. Res permanentes quidquid ſunt, ſimul ſunt; res vero ſucceſſiuæ, vt tempus & oratio, nequeunt ſimul eſſe, ſed tunc recte & proprie dicuntur eſſe, quando ſecundum aliquid ſui exiſtunt, quis hominum, nedum Philoſophorum negat tempus eſſe, diem eſſe, eo quod nunquam ſint, niſi ſecundum inſtans; inſtans autem temporis non eſt hora, non dies, non tempus. Sicut ergo dicimus, & Philoſophice dicimus, iam eſt hora duodecima; quando hora eſt completa, quæ aliter eſſe nequit, cum naturâ ſit Ens ſucceſſiuum; ita oratio tunc eſt, quando vltimum ſuum terminum conſequitur; & ſicut plena vnius horæ continuitas eſt

in

in termino horæ, nec prius; ita perfecta vnius orationis ſignificatio, in qua fundatur veritas vel falſitas, non ante habetur, quam completa ſit oratio. Hæc ſi non intelliges, næ tu in Philoſophia valde peregrinus es. Profecto ſi tuæ non futiles eſſent argutiæ, probarent Chriſtum nõ potuiſſe vllam rem virtute vocis ſuæ in aliam conuertere; num tu negabis illum potuiſſe his verbis, Hoc eſt vinum, aquam in vinum conuertere?

NEOPISTVS. Non nego.

THEODORVS. Cur ergo verba ſimilia, & (vt S. Ambroſius loquitur) operatorium ſermonem Dei in iudicium vocas?

NEOPISTVS. Dicitis verba operari, quod ſignificant; ſed ea quibus panis conſecratur, ſignificant tantum corpus, non ſanguinem, non animam; ſine quibus corpus Chriſti præſens eſſe nequit.

THEODORVS. Verum eſt virtute verborum tantummodo corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, & ſanguinem ſub ſpeciebus vini præſentia fieri, cetera autem adeſſe per concomitantiam, quia à corpore inſeparabilia ſunt; ſcimus enim *quod Chriſtus reſurgens à mortuis, iam non moritur*, Rom. 6. quare vbicunq; corpus eius eſt, viuum eſt & animatum; nec abeſſe poteſt diuinitas; nam *omnis Spiritus qui ſoluit Ieſum*, (naturam diuinam ab humana) *ex Deo non eſt*. 1. Ioan. 4. NEO-

NEOPISTVS. Ex veſtra concomitantia ſequitur in cœna ſumi non tantum Chriſtum, ſed Trinitatem totam.

THEODORVS. Aduerto te legere Lutherum, cuius hoc eſt argumentum, tom. 3. Ienen. Germa. fol. 529. ex Sabellij, Valentini, & ſimilium Trinitariorum penu depromtum.

NEOPISTVS. Cuiuſcunq; ſit argumentum, tu ad illud reſponde. Nam Pater & Spiritus Sanctus ſeparari nequeunt à Diuinitate; ſi ergo Diuinitas eſt in ſacramento propter concomitantiam, etiam erit ibi & manducabitur Pater & Spiritus Sanctus.

THEODORVS. Quia vna eſt Diuinitas, à qua diſtare nequeunt tres perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, omnino ſequitur, vbi præſens eſt Deitas, ibi non abeſſe tres hypoſtaſes; eſt vtiq; in Sacramento Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, qui etiam olim in vtero erant virginis Deiparæ; quin in rebus omnibus fuerunt, ſunt, & erunt, quid inde? Si totus ſumitur Chriſtus Dei filius, manducabitur quoq; & ore vere ſumetur Pater & Spiritus Sanctus. O portentum conſequentiæ; ſi totus naſcitur ex virgine Chriſtus, eandem Pater quoq; & Spiritus habebunt matrem? ſi in Bethlehem iacet Chriſtus verus Deus & homo, iacebit in præſepio Pater & Spiritus? ſi Dei morte te redemtum confiteris; conſe-

quenter

quenter & Patrem & Spiritum mortuum aſſeres? Rem accipe: Vbi totus eſt Chriſtus, ſequitur quidem non abeſſe Patrem & Spiritũ Sanctum; quin diginori quodam modo præſentes eſſe, quam ſint in rebus ceteris, ſed minime conſequens eſt, eis attribui poſſe quidquid Chriſto tribuitur. Nam quæ huic immediate conueniunt ſolum ratione hypoſtaſis ſuæ, aut per aſſumtam carnem, ea Patri & Spiritui communia non ſunt; ſic vere manducari, in os reponi, in viſcera demitti, per ſe ad carnem Chriſti pertinet; *Caro mea*, inquit, *vere eſt cibus*; qualis cibus nec per ſe anima, nec diuinitas, nedum Pater & Spiritus Sanctus ſunt. Corpus animatum, carnem Chriſti, Deum dicimur manducare, non animam, non Diuinitatem, & multo minus Patrem, vel Spiritum Sanctum: corpus animatum, caro Chriſti, Deus crucifixus fuit; animam aut Diuinitatem clauis transfixam nemo proprie dixerit; Patrem vero & Spiritum Sanctũ dicere crucifixum, aperta foret hæreſis. vrgebat olim quoq; Neſtorius, nos puram carnẽ, non diuinitatem manducare; cui reſpondet D. Cyrillus, anathem. 11. ad Euoptium: *Quoniam enim, minime editur Diuinitatis natura, propter hoc commune dixerit quis ſanctum corpus Domini? ſcire autem opera pretium eſt, quod, ſicut ſupra diximus, proprium eſt corpus eius Verbi,*

quod

quod omnia viuificat; quoniam autem eſt corpus vita, viuificum eſt. Corpus Filij Dei eſt, non Patris; non Spiritus Sancti; quare illud ſumens ſumit Dei Filium, non manducat Patrem, non Spiritum Sanctum.

NEOPISTVS. Iam ſerus eſt veſper, ſi cras ad me redires, de alijs quibuſdam articulis te audirem; probabo enim omnia, vt quod bonum eſt teneam.

DIALO-

Digitized by Google

DIALOGVS QVARTVS.

DE VSV SACRAMENTI EVCHARISTIÆ SVB vna ſpecie.

THEODORVS. NEOPISTVS.

THEODORVS. Reuerto ad te, vt pollicitus ſum.

NEOPISTVS. Amice facis; ego ea de quibus heri colloquuti ſumus, tota nocte mecum volui; & parum abfuit, quin me catholicum haberes.

THEODORVS. Quid obſecro me hoc priuauit gaudio, quo perfunderer, ſi ad fidem catholicam, extra quam ſalus non eſt, redires.

NEOPISTVS. Non potui decoquere, quod contra expreſſam Chriſti Domini inſtitutionem & præceptum apud vos Laici vſu calicis priuantur.

THEODORVS. Videris pro eodem ſumere inſtitutionem & præceptum; cum tamē latius pateat inſtitutionis nomen, quam præcepti.

Neopistvs. Scio præceptum appellati inſtitutionem.

Theodorvs. Recte, quia omne præceptum eſt inſtitutio; ſed non quæuis inſtitutio continet præceptum. Inſtituit quis hoſpitale, aut noſocomium, ſed non præcipit ægrotis, vt ad noſocomium veniant; nec hoſpitibus, vt hoſpitale accedant. Similiter Chriſtus ſacram menſam ſub vtraq; ſpecie inſtituit, quam menſam Apoſtolis, eorumq; ſucceſſoribus adminiſtrandam & diſpenſandam commiſit; nec vnquam vt omnes ſub vtraq; ſpecie communicarent mandauit. Profecto Lutherus agnouit inſtitutionem ſub vtraq; ſpecie, de neutra tamen ſumenda nos præceptum habere docuit, Tom. 1. Germa. Ienen. fol. 211. & tom. 2. fol. 89. Mentitur quidē quod vtramq; ſpeciem intermitti pro libito poſſe aſſerat, ſed in hoc non errat, quod præceptum ab inſtitutione diſtinguat.

Neopistvs. In veſtris legi Doctorib9, Chriſtum præcepiſſe Apoſtolis, vt ſacramentum ſub vtraq; ſpecie conſecrarent.

Theodorvs. Ita eſt; ſed noueris Euchariſtiam nō tantum ſacramentū, ſed & verū nouæ legis ſacrificium eſſe; quod peragitur, dum panis & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti conſecrantur; huius ſacrificij miniſtros & ſacerdotes in vltima cœna ordinauit

Apo-

Apoſtolos, quos ideo ſolos, non alium è diſcipulis, nec beatiſſimam matrem ſuam ad cœnã illam conuocauit. Apoſtolis ergo, & per hos ſacerdotibus diuinitus præceptum eſt, vt ſub vtraq; ſpecie ſacrificium peragant; vt ceteri qui non ipſi ſacrificant, ſed de ſacratiſſima hoſtia in animæ alimoniam participant, vtramq; ſumant ſpeciem, à Deo nullibi mandatum legitur.

NEOPISTVS. An non Ioannis 6. legimus? *niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

THEODORVS. Præceptum hoc exhaurit, qui ſub vna ſpecie carnem & ſanguinem, quæ promiſſam vitam conferunt, accipit. niſi biberitis ſanguinem, id eſt, niſi ſumſeritis. nam ſanguis quocunq; modo ſumatur, vere eſt potus; potus vero ſumtio dicitur, vt ſic loquar, bibitio. Minime imperat Chriſtus, vt ſanguis eius è ſacris venis extractus more fluidorum hauriatur, ſed vt vna cum ipſo corpore ſumatur, quæ ſumtio, vt dixi, à ſanguine re ſecundũ naturam ſuam potabili denominatur potio, eſtq; ſpiritualis potatio veri & præſentis ſanguinis Chriſti. Vnde quod de manducando corpore & ſanguine ſuo dixerat Dominus, aliis paulo poſt verbis repetit: *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me*; id eſt, non erit in-

ter illos, quos vitam non habituros aiebam, niſi carnem meam manducarent, & ſanguinē biberent; vtrumq; enim præſtat qui manducat me.

NEOPISTVS. Non multum tecum contendo de verbis Ioannis 6. Scio enim & Lutherum, & Zwinglium, ac Caluinum noſtrū negare in illo capite de Sacramento Euchariſtiæ agi.

THEODORVS. Imo vero agitur, vt nos libenter fatemur; quia tamen tu id non credis, aliis quæ ad propoſita ex Diuo Ioañe verba reſponderi poſſunt, ſuperſedeo; nam quæ dixi ſufficientiſſima ſunt.

NEOPISTVS. Ineuitabile telum eſt illud Matth 26. *Bibite ex hoc omnes.*

THEODORVS. Intellige, vos Apoſtoli; vnde quod Chriſtus fieri voluit, Marcus cap. 14. iam ab Apoſtolis impletum ſcribit, non à nobis faciendum: *Et biberunt ex illo omnes.* Secundo, verba illa; *Bibite ex hoc omnes*; accipi poſſunt de omnibus ſacerdotibus; quibus ſine calice ſacrificare fas non eſt; ſacerdotum autem primitiæ erant Apoſtoli in illa ipſa cœna initiati.

NEOPISTVS. Ego ſemper intellexi prædicta verba ad omnes pertinere.

THEODORVS. Iam proprium ſenſum tradidi, non renitar tamē quo minus de omnibus

bus intelligas, modo præceptum non inuoluas; ſæpe enim verba imperandi, vt vocant Grammatici, minime imperium, ſed licentiam & permiſſionem ſignificant, vt cum quis mendico ſtipem porrigens dicit: extende manum, accipe nummum, nullum is præceptum dat; ſed liberalem voluntatem explicat. Sic Chriſtus ſui ſanguinis calicē permiſit omnibus, ſalua tamen Eccleſiæ diſpoſitione, cui per Apoſtolos commiſit, vt vel ſub vna, vel ſub vtraq; ſpecie diſpenſaret ſacra myſteria.

NEOPISTVS. Ex Euangelio conſtare, quod vtraq; ſpecies omnibus pręcipiatur, mihi ſemper perſuaſiſſimum fuit.

THEODORVS. Erraſti, quod te Lutherus docebit, quem Petrus Martyr inſignis Zuinglianus lib. de votis, fol. 345. ſcribit ab omnib⁹ piis pro illuſtriſſimo Euangelij Chriſti inſtauratore haberi.

NEOPISTVS. Quid affirmat Lutherus?

THEODORVS. Ex Euangeliſtis non cōcludi nobis quoq; præceptum eſſe, quæ Apoſtoli ſumere & facere iuſſi ſunt: Tomo 3. Germanico Ienenſi, fol. 498. Neq; plus docuit Apoſtolus, 1. Corinth. 11. quam Euangeliſtæ tradiderint.

NEOPISTVS. Chriſtus expreſſe mandauit; *Hoc facite in meam commemorationem.* Lucæ 22. 1. Corinth. 11.

THEODORVS. Facere Hebræis, Græcis, & Latinis interdum idem eſt quod ſacrificare; quo ſenſu Chriſti verba : Hoc facite, continent mandatum, Eccleſiam ſeu Presbyteros, non populum attinens, de continuando altaris ſacrificio, quod Hæretici totis virib⁹ euerſum eunt.

NEOPISTVS. Hoc facite, ego intelligo idem eſſe, atq; : Hoc ſumite.

THEODORVS. Et hic ſenſus nobis militat; nam id Chriſtus non legitur dixiſſe de vtraq;, ſed de vna ſpecie, ante calicem, Lucæ 22.

NEOPISTVS. Paulus eadem verba poſt datum calicem dicta refert, 1. Corinth. 11.

THEODORVS. Non eſt ita; poſt calicem non legimus dictum abſolute : Hoc facite in meam commemorationem; ſed, *Hoc facite, quotieſcumq; biberitis, in meam commemorationē*; quibus verbis potius ſignificatur bibendi præceptum nos non habere; ſi tamen permittatur vt bibamus, Domini memores bibemus. Profecto pater mandans filio : ſobrius eſto, quotieſcunq; vinum biberis, non iubet bibere, ſed temperantiam, ſi bibat, commendat. Ecquæ nam cauſa eſt, cur poſt ſumtā ſacram hoſtiam abſolute dictum ſit; Hoc facite in meam commemorationem; & poſt calicem ſub conditione; quando, vel quoties biberitis, in mei memoriam, id facite? quæ

inquam

inquam conuenientior mutatæ dictionis aſſignabitur ratio quam quod CHRISTI voluntati ſatisfiat, ſi vna ſpecies, quæ ſacra ſolet eſſe hoſtia, ſumatur, quodq; altera ſpecies non ſit præcepta omnibus, quamuis, ſi ſumatur, decenter & in Domini memoriam ſit ſumenda.

NEOPISTVS. Nullibi in Scriptura inuenio vnius ſpeciei vſum.

THEODORVS. Eum in veteri teſtamento pręſignarunt nobiliſſimæ huius ſacramenti à populo ſumendi figuræ; lignum vitæ in paradiſo, Geneſis ſecundo & tertiò, Agnus Paſchalis, Exodi, capite duodecimo, Manna è cœlo miſſum, Exodi decimo ſexto, &c. In nouo vero teſtamento, vbi vſus & praxis communionis laicorum narratur, vnius tantū ſpeciei fit mentio, Lucæ vigeſimo quarto, & certius Actorū ſecundo; & vigeſimo; de calice in his locis nihil ſcribit Lucas. Apud Ioannem quoq; integer ſacramenti effectus tribuitur ei, qui vnam ſumit ſpeciem; *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, capite ſexto.

NEOPISTVS. In veteri Eccleſia laicos ſub vtraq; ſpecie ſacramentum ſumſiſſe, multis teſtimoniis noſtri probarunt.

THEODO. Multa teſtimonia à tuis Prædicantib⁹ adducta nihil probant; ſed intelligūtur

de communione ſacerdotum tempore ſacrificij; ratione quorum verificatur, quod interdum de calice indefinite ſcribitur, præſertim cum populus quaſi contineatur in ſacerdotibus, & ſacerdotes nomine totius Eccleſiæ calicem offerant & ſumant; interdum vero admittimus Patres loqui de laicis, ex quibus modo hi, modo alij ſub vtraq; ſpecie communicabant, non omnes; ſed tot forte, quibus vnus calix conſecratus ſufficeret, iſq; non adeo magnus; cum maiorum vaſorum, in quibus conſecratum fuerit vinum, nullum veſtigium, nulla extet memoria.

NEOPISTVS. Poterant ſimul multi calices conſecrari.

THEODORVS. Mirum eſt, quod non dicas, potuiſſe eundem calicem ſæpius exhauſtum denuo impleri, vt in popinis fit, vnde enim niſi ex prophanis ſympoſijs habes numerum calicum? in Eccleſia Dei ſimul multos benedici calices inſolens eſt. Inceperat non nemo in altari plures ſimul calices habere tépore B. Bonifacij Germaniæ Apoſtoli, qui morem illum non tulit, ſed Gregorium III. vel, vt alij computant, II. Romanum Pontificem ſuper eo conſuluit, cui ante annos 880. reſpondit Pontifex: *congruum non eſt, duos vel tres calices in altari ponere, cum Miſſarum ſolemnia celebrantur.*

NEOPI-

Digitized by Google

NEOPISTVS. Reprehenduntur hæretici, qui vinum non porrigebant.

THEODORVS. Recte mones. Hæretici nõnulli vino omnino tanquam re mala abſtinebant, eos tamẽ nõ reprehendũt veteres, quod populo Euchariſtiam ſub vini ſpecie non præberẽt, ſed tantũ quod in myſterijs ſacrificij tẽpore vinũ non offerrent; nam ex Chriſti præcepto in Miſſa caro & ſanguis eius ſub vtraq; ſpecie offeruntur; ſed extra ſacrificiũ vtramq; ſumi minime præcepit. Nõ multo poſt Apoſtolorum tempora omnem vini vſum abominabatur hæreticus Tatianus quem hæreſis magiſtrum habuerunt Encratitæ, ſeu Hydroparaſtatæ; ſic appellati, vt teſtatur Theodoretus lib 1. hæret. fabul. quod aquam pro vino offerant. Et de Aquariis ſcribit S. Auguſtinus, hæreſi 64. *Ex hoc appellati ſunt, quod aquam offerunt in poculo ſacramenti, non illud quod omnis Eccleſia.*

NEOPISTVS. An non S. Leo reprehendit Manichæos Laicos, quod à calice abſtinerẽt?

THEODORVS. Manichæi ſimulabant ſe catholicos, & in catholicis Eccleſiis Euchariſtiam ſumebant; ſed quia vinũ deteſtabantur, calice abſtinebant. Ex quo ipſo colligitur licuiſſe tunc vnam tantum ſpeciem ſumere, alioquin Manichæi nunquam ad noſtra ſacramenta acceſſiſſent; nec latere potuiſſent;

ad quorum tamen detegendam ſimulationem iuſſit S. Leo eos qui nunquam ſumerent calicem, ſed auerſarentur, obſeruari tanquã ſuſpectos de hæreſi; interdum ergo, non ſemper catholici tunc ſumebant vtramq; ſpeciem, quæ eo tempore quædam fidei contra Manichæos profeſſio erat. Lege S. Leonem ſerm. quarto. de Quadrageſima, cap. quinto, ſed vereor, vt vel Quadrageſimæ nomen horreas.

NEOPISTVS. Antiquiſſimus Tertullianus ſignificat vſum vtriuſq; ſpeciei.

THEODORVS. Vnius ſpeciei dicere debebas; olim enim, vt Tertullianus libro de Orat. ad finem; & lib. ſecundo ad vxorem, cap. 5. & S. Cyprianus Martyr libro de lapſis, aliiq; teſtantur, Euchariſtiam ſub ſola panis ſpecie domum portabant, & domi quando libuit, ſumebant: quod manifeſtum communionis ſub vna ſpecie argumentum eſt. Accipe aliud ex veteri more, quo reliquiæ ſacrarum hoſtiarum diſtribuebantur pueris. *Vetus fuit conſuetudo*, ſcribit Euagrius libro quarto capite triceſimo quinto, *Conſtantinopoli, vt ſi quando multa admodum particula puri & immaculati corporis Dei noſtri ſupereſſent, pueri impuberes, qui Scholas frequentabant, arceſſerentur, eaſq; manducarent.* Subdit de puero Hebræo, qui cum vna cum aliis

ſacras

ſacras particulas ſumſiſſet, & propterea à patre in ardentem clibanum conijceretur, in eo incolumis triduum ſeruatus, donec à matre ſua repertus extraheretur. Calicis cur nulla mentio, ſi pro omnibus eſt conſecratus, cur reliquiarum nulla in veterū monumentis memoria?

NEOPISTVS. Si pueris diſtribuebantur reliquiæ, quomodo vos dicitis pro ægrotis reſeruari ſolitas?

THEODORVS. Vtrumq; fiebat, reſeruabatur Euchariſtia pro ægrotis, vt in promtu haberetur, & quæ præter reſeruata ſupererant, innocentibus pueris dabantur. Neſcio an intelligas, quam bene vſus vnius ſpeciei approbetur, ex hàc perpetua Eccleſiæ conſuetudine, qua ſacramentum ſub ſola panis ſpecie pro infirmorum neceſſitate aſſeruabatur: nam ſi veteres ſenſiſſent vtriuſque ſpeciei vſum à CHRISTO mandatum eſſe, id maxime obſeruaſſent in mortis articulo, quando Diuinarum legum adimplendarum ſolicitior nos vrget cogitatio; & tamen hoc extremum viaticum ſub vna ſpecie percipiebant; ſub qua etiam ſani & firmi Euchariſtiam ſecum deferre ſolebant, vt & à periculis tutiores forent, & neceſſitate ingruente ex hac vita ſine cœleſti viatico ne abirent. Hinc S. Tharſitius, qui ante annos 1350.

pro

Digitized by Google

pro Chriſto Martyrium ſubiit, ſecum ferebat ſacratiſſimum Chriſti corpus, & prius mori voluit, quam id Gentilibus reuelaret, quod etiam diuinitus eo interemto diſparuit, ne in ſacrilegas manus veniret; vt referunt Metaphraſtes in vita S. Stephani I. cap. 17. Beda & Vſuardus in Martyrologio, XV. Auguſti. Item in naui Euchariſtiam ſecum ſub panis ſpecie habuerunt fideles, à quibus eam petebat tempore naufragij S. Satyrus adhuc catechumenus, non quidem vt ſumeret, ſed vt ſecum haberet Dominum, qui Petrum è naufragio liberarat.

NEOPISTVS. Suſpicor te fabulam mihi narrare.

THEODORVS. Abſit, hiſtoriam deſcribit S. Satyri frater S. Ambroſius, magnus ille Eccleſiæ Doctor; eius verba reddam, & ſimul quæ forte non intelligeres, declarabo. *Quid igitur obſeruantiam eius* (Satyri, in cuius funere hæc perorabat Ambroſius) *erga Dei cultum prædicem? Qui priuſquam perfectioribus eſſet initiatus myſteriis, in naufragio conſtitutus, cum ea qua veheretur, nauis ſcopuloſo illiſa vado, & vrgentibus hinc atq; inde fluctibus ſolueretur, non mortem metuens, ſed ne vacuus myſterio* (id eſt, ſine baptiſmatis ſacramento) *exiret de vita, quos initiatos* (baptiſmo) *eſſe cognouerat, ab his Diuinum illud fidelium* (ſic vocabantur baptizati

zati

zati tantum) *ſacramentum popoſcit, non vt curioſos oculos* (nec aſpicere SS. Euchariſtiã licebat catechumeno) *inſereret arcanis, ſed vt fidei ſuæ* (qua preſentem credebat, quem ventis & mari imperaſſe legimus) *conſequeretur auxilium. Etenim ligari fecit* (ipſe ſacra contingere non auſus eſt) *in Orario, & Orarium* (nos ſtolam vocamus) *inuoluit collo, atq; ita ſe deiecit in mare, non requirens de nauis compage reſolutam tabulam, cui ſupernatans iuuaretur, quia fidei ſolius arma quæſierat. Nec deſeruit ſpes; primus ſeruatus ex vndis, & in portum terrenæ ſtationis euectus, præſulem ſuum, cui ſe crediderat, recognouit.* En tot telis, quot verba ſunt, Caluinum & Zwinglium confodit S. Ambroſius, qui non tantũ vnius ſpeciei vſum, verumetiam Chriſti in ſacramento præſentiam extra vſum, fideliumq; cultum ac reuerentiam eleganter exhibet.

NEOPISTVS. Neſcio quid ad hoc exemplum reſpondeant noſtri Paſtores.

THEODORVS. Audi quid reſpondeat Petrus Martyr Tigurinus olim Paſtor, vel potius lupus; obiect. 88. contra Gardinerum: *Cur Ambroſius*, inquit, *factum iſtud fratris ſui tantopere laudandum cenſuerit, non video*; credo quia exoculauit te Zwinglij fatuitas; ad marginem adſcribit Pſeudomartyr: *factum Satyri minimè laudandum*: & in textu paulo

poſt:

poſt : *De ipſo vero Ambroſio , ſi liceat præfari veniam , & vera dicere , quod id iſtam fabulam attinet , in prædicando facto Satyri , quod haut dubie oportuit reprehendere , magis eum Rhetorem , quam Theologum , aut Epiſcopum fuiſſe video. Hac enim in re quam fidem vidit in Satyro , quæ vere laudari potuerit ? Satyrus fortaſſe excuſari poterit vt Catechumenus ; Ambroſius autem iſta ſuo judicio comprobans quemadmodum defendi poſſit , alij viderint.* Placet ne tibi Zwinglianum reſponſum ?

NEOPISTVS. Nimis candidus fuit Petrus Martyr.

THEODORVS. Nimis mihi crede ater, & diabolico ſuperbiæ nigrore tinctus, qui ſe præfert Ambroſio , & toti quæ ante 1200. annos floruit Eccleſiæ : quod docuit in re tanta tam indubie Ambroſius, ſenſerunt ceteri qui ei in fide conſenſerunt ; vt taceam vnius Ambroſij auctoritatem apud prudentem quemuis pluris eſſe debere, quam ſit Pſeudomartyris & ſimilium tenebrionum fides : non poſſum omittere quod ſcribit de Ambroſio noſtro eius diſcipulus S. Auguſtinus libro primo contra Iulianum ; *audi alium excellentem Dei diſpenſatorem , quem veneror vt patrem, in Chriſto enim IESV per Euangelium ipſe me genuit , & eo Chriſti miniſtro ,*

lauà-

lauacrum regenerationis accepi; Beatum loquor Ambroſium, cuius pro Catholica fide gratiam, conſtantiam, labores, pericula, ſiue operibus, ſiue ſermonibus & ipſe ſum expertus, & mecum non dubitat orbis prædicare Romanus. Et à ſe quis impetret vt Ambroſio anteferat, quos nõ dubitat orbis anathematizare Romanus?

NEOPISTVS. Vellem vt ex ſolis ſcripturis tecum diſputaſſem.

THEODORVS. Noli putare à ſcriptura aberraſſe veterem Eccleſiam, & ſi illi non credis, credas Luthero & ceteris Euangelicis, qui lectis ſcripturis aperte profeſſi ſunt, à Chriſto minime prohibitum, ſed licitum eſſe vnius ſpeciei vſum. Lutherus tom. primo Germanico Ienenſi, fol. 211, ſcribit: *Non dixi, nec conſului, neque eſt intentio mea, vt vnus aut aliquot Epiſcopi propria auctoritate incipiant alicui vtramque ſpeciem porrigere, niſi ita inſtitueretur aut Generali Concilio præciperetur. Hoc verum eſt; quia Chriſtus non præcepit vt omnes Sacramentum percipiant, non tantum vna ſpecies, ſed etiam nulla accipi poteſt, ſicut aliqui eremitæ fecerunt. Quare non probo Bohemos quod non ſequantur multitudinem, non obediant poteſtati, nec contenti ſint vna ſpecie; ſeu bene ſeu male faciat Romana Eccleſia, talis ordinatio non eſt damnoſa.* Hoc Lutherus, quem Caluinus de libero arbitrio contra

Pighium

Digitized by Google

Pighium, vocat inſignem Dei Apoſtolum. Ceteri quoq; Euangelici in Comitiis ANNO M.D.XXX. celebratis Auguſtæ die XX. Auguſti, negarunt à ſuis hactenus prohibitum eſſe, ne ſacramentum ſub vna ſpecie acciperent: item profeſſi ſunt, quod ſub vna ſpecie communicantes non male agant. Lege Dauidem Chytræum in hiſtoria Auguſtana Germanica, fol. 146.

NEOPISTVS. Forte vnus vel alter ita ſenſit.

THEODORVS. Minime, ſed communi Proteſtantiũ nomine id ſe credere aſſeuerarunt Illuſtriſſimi Principes Ioannes Fridericus Elector Saxoniæ, Georgius Marchio Brandeburgicus; è Doctoribus Gregorius Bruck, D. Heller, Philippus Melanchthon, Ioannes Brentius, Erhardus Schneppius.

NEOPISTVS. Mutarunt vtiq; hanc ſententiam.

THEODORVS. Ita eſt; ſed abſit vt lunaticis iſtis, & in fide tam inconſtantibus quis ſalutem ſuam credat.

NEOPISTVS. Eſto quod liberum reliquerit Chriſtus, vnam tantum, vel vtramq; ſpeciem ſumere; cur vos ab vtraq; ſpecie arcetis laicos.

THEODORVS. In iis quæ diuini iuris nõ ſunt, magiſtratus ex rationabili cauſa poteſt lege

lege prohibere, quod ante legem licite fiebat; quæ non ſolius Eccleſiaſtici, ſed in rebus politicis etiam ciuilis magiſtratus poteſtas à Deo eſt ordinata: quin paterfamilias filio præcipere poteſt, quod Chriſtus liberum reliquit; vt in confeſſo eſt.

NEOPISTVS. Non video quæ idonea ſuppetat ratio interdicẽdi laicis altera ſpecie.

THEODORVS. Non video cur laici adeo calicem deſiderent: etſi enim vtraq; ſpecies & plenius Diuini epuli perfectionem ſignificet, & expreſſius Chriſti paſſionem ac ſanguinis effuſionem repræſentet; ſufficienter tamen in vna quoq; ſpecie eadem nobis deſignantur. nam ſub panis ſpecie non continetur ſiccum & exangue corpus, ſed cœleſti diſtentũ nectare. *Botrus Cypri Dilectus meus mihi*, inquit Chriſti ſponſa Eccleſia, Cantici 1. in quæ verba eleganter D. Thomas, opuſculo 58. cap. 29. *Duo ſumo in botro, vuam ſcilicet corpus Domini in cibum, & ex vua ſugo dulcem ſanguinem in potum.* Quia tamen verba quibus panis conſecratur, & conſecratus fidelibus diſtribuitur, corpus ſonant, occulunt ſanguinem, hæc ipſa figura eſt Domini in cruce paſſi, quãdo ſacrum ſuum corpus omni fuſo ſanguine exinaniuit; non abeſt in hoc myſterio ſanguis, ſed vt effuſus olim demonſtretur, modo ſubticetur. Quæ cum ita ſint, qui vnam ſumit

ſpeciem, immerito quiritabitur, aridam ſibi præberi cœnam; aut Dominicæ mortis mnemoſyno & ſignaculo ſe priuari. Eſto non omnia ſumas ſigna, modo rem ſignatam & ſignorum quaſi ſubſtantiam teneas; eſto expreſſius myſteria ſignificet vtraq; ſpecies; ſignificat omnibus etiam non ſumentibus; ſicut & olim ſanguis Agni effuſus, non hauſtus, CHRISTI figurabat ſanguinem; at quod animam maxime ſaginat & pinguefacit, caro CHRISTI ſacerq; cruor eſt; hæc integra fideles omnes accipiunt. Signa & ſpecies inſtar inuolucrorum CHRISTVM continent nucleum; hunc ſi datum percipis, quid de inuolucro quereris? vtraq; ſpecies ad ſacrificii rationem ſpectat, in quo ſanguis, vt iam olim præfiguratum eſt, per ſe & diſtincta quadam partiali oblatione offerendus; ad ſacrificium inquam vtraque requiritur ſpecies, non ad ſacramenti eſſentiam, quæ perfecta in vna quoq; ſpecie habetur; quamuis vtriuſque, vt dictum eſt, plenior ſit ſignificatio.

NEOPISTVS. In Gloſſa veſtra ſuper Capitulum II. diſtinct. ſecunda de conſecrat. hæc habentur: *ſumitur ſub vtraq; ſpecie vt ſignificetur, quod vtraq; Chriſtus aſſumſit & carnem, & animam, & quod tam ani-*

me

mæ quàm corporis participatio valeat; vnde ſi ſub vna tantum ſpecie ſumeretur, ad tuitionem alterius tantum valere ſignificaretur: Hactenus Gloſſa.

THEODORVS. Auctor huius Gloſſæ ſequutus commentarios in 1. ad Corinth. cap. 11. qui Ambroſij nomine veneunt, congrua quadam ratione voluit oſtendere, cur ſub vtraq; ſpecie ſumi debeat ſacramentum non ab omnibus, ſed ab aliquibus, vt fit in Miſſa à ſacerdotibus; nam de ſignificatione illa tam animæ quàm corporis à Verbo aſſumti ſatis conſtat, ſi quidam percipiant. Recte B. Bonauentura in quarto ſentent. diſtin. 11. qui Gloſſatoris coætaneus fuit. *Fideles accipiunt perfectum ſacramentum ſub vna ſpecie, quia ad efficaciam recipiunt; ſed quantum ad ſignificantiam ſufficit, quod Eccleſia facit in corũ præſentia.*

NEOPISTVS. Dic vel vnam iuſtam cauſam, cur calix prohibeatur.

THEODORVS. Dicam plures, licet tamẽ nullam ſcires, nihil temere ab vniuerſa receptũ Eccleſiã credere deberes. Vnius ſpeciei vſum perpetua traditione probatũ tãdẽ comuni lege firmauit Conſtantienſis Oecumenica Synodus 200. prope abhinc annis celebrata, quã legem tamquã iuſtam omnes toto Romano orbe Eccleſiæ, Epiſcopi, Reges, Princeps

& populi ſuſceperunt, quis credat omnes in vnum conſenſiſſe ſine grauibus cauſis?

NEOPISTVS. Perge eas proferre.

THEODORVS. Non ſingula, ſed genera quædam & quaſi claſſes cauſarum referam. Primo ſeruatur æqualitas inter eos quib⁹ ſub vna ſpecie communicare fas eſt; quandoquidem ab vtraq; multos excluderet neceſſitas, qui vel ratione morbi, vel naturæ quaſi vitio vinum potare nequeunt; item pro ægris Euchariſtia ſub vini ſpecie nec aſſeruari tuto poteſt; nec tempore intempeſto atq; extra Miſſæ ſacrificium conſecrare fas eſt, vt nihil dicam de prouinciis, in quibus aliquando vix pro ſacrificio ſatis vini habebatur. Secundo, gente Chriſtiana adeo multiplicata, pro tanto populo multum vinum conſecrandum, & minus conueniens foret numerus vaſorum, an vaſtitas & magnitudo. Tertio, licet creuerit populus, non tamen Chriſtiana modeſtia & in res ſacras reuerentia; quare ne irreligioſe pretioſi ſanguinis effundatur poculum, dum ſe comprimentes altare accedunt; aut ora nō vt debent applicant; Chriſtum ſub vna panis ſpecie accipiunt; non datur altera, vt tractentur tutius Sancta, quæ continet vtraq;. *Hinc eſt*, vt obſeruauit S. Thomas opuſculo 58. cap. 29. *quod Dominus in cœna Apoſtolis paucis, & vt ſuis ſacerdotibus non ſolum corpus in ſpecie panis,*

nis, ſed & ſanguinem in ſpecie vini dedit; multitudini hominum in deſerto panem ſine potu diſtribuit. Quarto, cauetur erroris periculum; nam vt ſcribit idem S. Doctor; *ſi populus rudis acciperet ſanguinem ſub ſpecie vini, non crederet illũ eſſe ſub ſpecie panis, cum tamen veraciter ſit ſub vtraq; ſpecie.* Quid mirum ſi in errorem talem incidat homo rudior; quem tam gnauiter tuetur Lutherus tertius Elias, Prophetarum vltimus, quintus Euangeliſta, heroſq;, vt à Beza de hæreticis puniendis folio 32. laudatur, fortiſſimus. Huius verba ex Tomo tertio Germanico Ienenſi, folio 529. accipe: Hiezu ſchlägt nur die Concomitantien, das iſt die folge / weil Chriſtus Leib nit ohn ein Blut iſt / ſo folgt darauß / daß ſein Blut nit ohn ein Seele iſt. Welcher Teuffel hat vns haiſſen auß vnſerem Kopff ſolches ertichten / oder in dem heiligen Sacrament mit ſolchen Narren gedancken vmbgehen? Sathan hats gethan / vnnd thuts auch noch / zu ſpotten vnnd zuhönen vnſer Heilthumb / vnnd vns dieweil von den einfeltigen worten Chriſti zureiſſen / wer hat vns befolchen / mehr in das Sacrament zuziehen / dann die klaren hellen wort Chriſti geben?

ben? Wer hat dich gewiß gemacht / ob diſer Folge eine war ſey? Wie weiſt du was Gott vermag? Wie kanſt du ſein weißheit vnnd gewalt abmeſſen / daß er ſeinen Leib vnd Blut nit allein im Sacrament köndt haben / daß dennoch ſein Seele vnd Gottheit nit darinnen wäre / ob gleich ſein Seel vnd Gottheit ohn Leib vnnd Blut nit ſeyn kan? Wer wil ſich vnderwinden / auſſer vnd vber ſeine wort / etwas in ſolchen ſeinen wundern / zufinden vnd zugründen? Wer wils gewiß machen / daß / weil Chriſtus Leib nit ohn ſeine Seele ſey / darumb müſſe ſein Seel auch im Sacrament ſeyn. Gilt ſolche Folgern / ſo wil ich auch ſagen: Weil Gott der Vatter ein Gottheit hat mit dem Sohn / ſo muß er auch Menſch vnnd Mariæ Son ſeyn worden / dann wo die Gottheit des Sohns iſt / da iſt der Vatter vnnd heiliger Geiſt auch. Auß mit den folgern vnd gauckeln.

NEOPISTVS. Satis eſt; inſomnem facile hanc noctem tranſigam.

THEODORVS. Incipis quidem ab erroribus abire, ſed progrederis tardius; manus tandem, vt ſpero, veritati dabis.

DIALOGVS QVINTVS.

DE NONNVLLIS RITIBVS, QVI IN SS. EVchariſtiæ adminiſtratione obſeruantur.

THEODORVS. NEOPISTVS.

THEODORVS. Quam difficulter deſeris, quo ſemel imbutus es, errorem.

NEOPISTVS. Parum abeſt, quin Catholicis me aggregem, ſed nonnulla adhuc habeo, quæ apud vos non probo, eo quod Chriſti exemplo, veteriq; Eccleſiæ aduerſa ſint.

THEODORVS. Quænam illa?

NEOPISTVS. Quod panem Euchariſticum non frangatis, nec in manus detis, ſed in os inſeratis, & quod ad altare, non è menſa diſtribuatis.

THEODORVS. Loquamur de ſingulis. Tune fractionem illam inter neceſſarios & ſubſtantiales ritus numeras?

NEOPISTVS. Ita intellexi Bezam noſtrũ, par. 2. quæſt. de ſacram. fol. 140. & in epiſt. 2. fol. 29. Chriſtum certe fregiſſe legimus.

THEODORVS. Fregit Chriſtus vt diſtribueret, & forte panem necdum ſacramentaliter benedictum; ſed jam ſanctificatas ſpecies fregerit; idem interdum fecerint veteres; vnde probabis fractionem eam fuiſſe myſticam, requiſitam ad ſacramenti ſubſtantiam? *Ad diſtribuendum comminuitur*, ſcribit S. Auguſtinus epiſt. 59. quæſt. 5. myſterij non meminit. Sed habeat ſacrum ſignificatum fractio, non tamen conſequitur eam adeo neceſſariam eſſe; vtiq; nec myſterio vacabat locus, & grande illud cœnaculum, in quo Chriſtus vltimam cœnam fieri voluit; nec tempus nocturnum quo Euchariſtia inſtituta eſt, vt te docebunt S. Cyprianus epiſt. 63. & S. Auguſtinus epiſt. 118. quæ tamen nos nõ obſeruamus; his ſimilis eſt frangendi actio, qua pro ſingulis ipſo cõmunionis tempore ſacer panis frangitur, quamuis vt dixi, non ſatis conſtet, vtrum iam conſecratum Chriſtus fregerit.

NEOPISTVS. Chriſti exemplo videntur fregiſſe Apoſtoli; *panem, quem frangimus* inquit Paulus 1. ad Corinth. cap. 10.

THEODORVS. Frangere in Scriptura ſæpius idem eſt quod diſtribuere; *frange eſurienti panem tuum*, Iſaiæ 8. *Paruuli petierunt panem,*

nem, & non erat, qui frangeret eis. Thren. 4. ſic & in Actis, panis fractio eſt cœleſtis alimoniæ diſtributio; vel forte innuitur ipſa ſpecierum panis fractio, quæ myſtice fit à ſacerdote, qui ritus perpetuo in Eccleſia ſeruatur, de eoq; loquuntur nonnunquam veteres. Eſto ergo quod hæc fractio Chriſti paſſionem ſignificet, eam vna hoſtia à ſacerdote fracta tam plene ſignificat, quam ſi centies, vel millies repeteretur; nam eiuſdem ſigni repetitio rem ſignatam non perfectius, ſed ſæpius repræſentat.

NEOPISTVS. Admittis ne fractionem, quæ à veſtro ſacerdote fit, ad ſubſtantiam ſacramenti pertinere.

THEODORVS. Minime; ſed accidentalis ritus eſt, ſine quo ipſa ſpecierum conſecratio, paſſionis Dominicæ typus & figura eſt, vt te nuper docui.

NEOPISTVS. Quid ad alterum à me propoſitum ritum reſpondes.

THEODORVS. Verum eſt olim in manu acceptam eſſe ſacram hoſtiam; nudis manibus viri, mundis linteis mulieres eam excipiebāt, quin & domum ſecum deferebant, quæ vt quondam, quando priſca florebat pietas, ſancte permittebantur; ita cum refrixit caritas, & prima deferbuit pietas, religioſe mutantur. Nec noua, ſed à pluribus retenta ſeculis eſt

conſuetudo, vt in os ſacerdos ceteris imponat Chriſti corpus. Profecto vt manu accipiatur, inter adiaphora numerat Lutherus, Tomo ſecundo Ienenſi Germanico, fol. 83, vt & Beza veſter, qui epiſt. 2. fol. 26. repræhendit eos, qui iſtam manus ſumtionem adeo vrgent.

NEOPISTVS. Melius ſaltem eſſet, Chriſti exemplo ſe conformare.

THEODORVS. Non conſtat an Chriſtus in manus dederit; veroſimile tamen eſt ſic dediſſe Apoſtolis iam ſacerdotibus; ne eodem modo detur laicis, inueterata iam & religioſiſſima conſuetudo obtinuit; cui ideo contraeunt noui Reformatores veſtri, vt cœnam habeant merendæ aut ſympoſio prophano ſimillimam. In his per ſe adiaphoris, & iuxta temporum ac locorum morem ſeruandis, ipſi ſunt occupatiſſimi, & interim totam CHRISTI menſam vertunt, inuertunt; totam ſacri epuli ſubſtantiam, qua paſſunt, tollunt.

NEOPISTVS. Omitte conuitium.

THEODORVS. Veſtrorum miniſtrorum eſt vitium, & nefarium facinus, vt breuiter oſtendam ex illis, quæ iam ante pluribus tibi expoſui. Fit & conſecratur Euchariſtia non niſi verbis à CHRISTO præſcriptis;

ptis ; iam vero conſecrata conſtat re dupli-ci ; vt S. Irenæus loquitur, terrena & cœleſti ; ſpeciebus, ſcilicet & quæ ſub eis continentur, corpore & ſanguine CHRISTI : quid de his Zuingliani & Caluiniani ? Cōſecratio illis eſt incantatio & magica demurmuratio : Chriſtum qui huius menſæ caput eſt , tantum à menſa abeſſe dicunt , quantum à terra cœlum : vt Lutherum tamen & ſimiles ſuæ cœnæ habeant ſocios , in eorum gratiam tenent hanc quæſtionem , de reali Chriſti præſentia, non pertinere ad fidei ſubſtantiam , ſed in alterutram partem quemuis abire ſine ſalutis iactura. O bella capita , de modo accedendi & ſumendi ſacrum cibum multum laboratis , & de ipſo cibo integrum erit , quod lubeat , ſentire ! Reſtant è ſacramenti ſubſtantia ſolæ panis vel vini ſpecies ; & has adulterant. Nam ſecundum Bezam Epiſtola ſecunda, folio vigeſimo octauo pane & vino alicubi deficiente, in caſeo , lardo , cereuiſia , ſacramentum hoc adminiſtrari poteſt ; vt enim ipſe hæc non nominet, generaliter tamen de cœna Domini ſcribit : *Rite celebrabitur , ſi quod panis aut vini vicem vel ex vſu communi , vel pro temporis ratione ſupplet , panis aut vini loco adhibeatur.*

Neque

NEOPISTVS. His nec ego conſentio, tu cur nouo modo in altari, non in menſa Dominicam cœnam peragatis, ediſſere.

THEODORVS. Altare ſeu ara refertur ad ſacrificium, de quo à meridie plenius ſi placet, tecum agam; iam, quia ita vis, de altari tantum loquar, cuius vſus ab ipſis Apoſtolis ad nos vſq; perpetuus in Eccleſia fuit. *Tremimus ad ſanctum altare tuum*, legitur in S. Iacobi Apoſtoli Liturgia; & Apoſtolorum diſcipulus S. Ignatius Martyr epiſt. ad Epheſios: *niſi quis intra ſepta altaris ſit, priuatur pane Dei.* Hoc verum eſt, ſub Imperatoribus Gentilibus non licuiſſe paſſim fixas aras erigere, ſed ferebant ſecum benedictas tabulas fere ligneas, adeoq; aras mobiles, ſeu vt vocamus, portatiles, qualium etiamnum apud nos interdum vſus eſt: Sed vbi pax reddita eſt Eccleſiæ, tempore Magni Conſtantini mox & templa & altaria magnifice exſtructa, quæ etiam Religioſiſſimi Imperatores voluerunt ſalutaria eſſe ad ea cõfugientibus; vt habes in edicto Theodoſij & Valentiniani Impp. quod refertur lib. 9. Cod. Theodoſi. titulo 454. hinc S. Ambroſius epiſt. 33. *Nec altaria tenebo vitam obſecrans.* Magnus ſemper altaribus honos fuit, quæ ſoli prophanarunt Gentiles, Iudæi, & Hæretici. *Prô ſcelus*, exclamat de Arianis Magnus Athanaſius in vita S. Antonij, *ſanguis ouium Chriſti reſper-*

reſperſit ſacra altaria; & B. Optatus in Donatiſtas inuehitur, libro ſexto, *quid eſt tam ſacrilegum quam altaria Dei* (*in quibus & vos aliquando obtuliſtis*) *frangere, radere, remouere, in quibus vota populi & membra Chriſti portata ſunt.*

NEOPISTVS. Non dubito alicubi conſuetum fuiſſe vt in menſa cœnam Domini ſumerent; nam menſæ meminit D. Chryſoſtomus homil. 27. in 1. ad Corinth.

THEODORVS. Per menſam interdum Patres intelligunt ipſum Chriſti corpus; nam menſa vſitato tropo ſumitur pro cibis & ipſo epulo; vt Pſal. 77. *nunquid & panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo*? Sic loquitur S. Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium, lib. 7. hiſto. cap. 8. Eodem modo cum in dicta homilia ait S. Chryſoſtomus: *menſa regia es acceptus*; non loquitur de tabula, ſed de ferculo; de altari autem alibi ſæpe, vt lib. 6. de ſacerdotio: *Per id tempus* (Miſſæ ſcilicet) *& Angeli ſacerdoti aſſident, & locus altari vicinus, in illius honorem qui immolatur, Angelorum Choris plenus eſt.* Neque tamen abnuo ipſum altare interdum menſam dici; Altare eſt, quatenus in eo immolatur modo incruento Chriſtus; menſa eſt, quatenus cœleſtia fercula ſuſtinet.

NEO-

NEOPISTVS. Chriſtus ſaltem in menſa ſacramentum adminiſtrauit.

THEODORVS. Et cum corporis & ſanguinis ſui ſacrificium obtulit, menſam vertit in aram, quamuis CHRISTI exemplum hac in re non recte vrgeas; ille enim cum prius celebraret legalem Agni Paſchalis cœnam, in eadem menſa voluit inſtituere nouæ legis menſam per Agnum illum præfiguratam, quod autem à nobis fieri volebat per Apoſtolos & Eccleſiam ſuam docuit. Recte S. Auguſtinus epiſt. 118, in caſu ſimili reſpondet; *ſi quid horum tota per orbem frequentat Eccleſia, hoc quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſima inſania eſt. Et liquido apparet, quando primo acceperunt diſcipuli corpus & ſanguinem Domini, non eos accepiſſe jeiunos: Nunquid tamen propterea calumniandum eſt vniuerſa Eccleſia, quod à jeiunis ſemper accipitur?* Subdit de CHRISTO: *& ideo non præcepit, quo deinceps ordine ſumeretur, vt Apoſtolis per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſeruaret hunc locum.* Hæc S. Auguſtinus, quæ vobis quoq; dicta ſunt, qui CHRISTVM in menſa cum Apoſtolis ſedentem (ſi tamen ſedit, quando Euchariſtiam inſtituit) tantopere imitari cupitis.

NEOPISTVS. Aduerto totam de altari quæſtio-

quæſtionem pendere ex ſacrificio, ſeu vt appellatis, Miſſa.

THEODORVS. Hoc ipſum te prius monui.

NEOPISTVS. De Miſſa à prandio colloquemur, quam ſi mihi perſuaſeris, mox me catholicum habebis.

DIALO.

Digitized by Google

DIALOGVS SEXTVS.

DE SANCTISSIMO MISSÆ SACRIFICIO.

THEODORVS. NEOPISTVS.

THEODORVS. Venio,vt condixi; tu quoq; promiſſis ſtabis.

NEOPISTVS. Promiſſa firmo; catholicus fiam, ſi Miſſam non recens regni Antichriſtiani inuentum,ſed fidei dogma eſſe probaueris.

THEODORVS. Crediſne à ſexcentis iam annis toto orbe Chriſtiano Miſſas celebratas eſſe?

NEOPISTVS. Non libenter id tibi do.

THEODORVS. Negare tamen non potes; noſtro more ſacrificaſſe D. Bernardum, D. Anſelmum, & tot viros qui ſex propioribus ſeculis ſanctitate & doctrina floruerunt. Luce meridiana clarius eſt, idq; ſponte fatentur Centuriatores Magdeburgici Religionis noſtræ hoſtes,quos tu tam diligenter legis.

NEO-

Digitized by Google

NEOPISTVS. Ad manus mihi ſunt Centuriæ, locum aſſigna

THEODORVS. Centuria vndecima, fol. 233. *Idololatria Miſſatica omnes doctores huius quidem ſeculi* (ab anno poſt Chriſtum natum milleſimo) *faſcinauit.*

NEOPISTVS. Recte legiſti.

THEODORVS. Ego gradum facio ad priora ſecula. Ab annis 800. in Oriente & Occidente Miſſæ ſacrificiū agnouerunt omnes Eccleſiæ; de Oriente teſtis eſt Ignatius Nicænus in vita S. Taraſij; & Generalis Nicæna II. Synodus actio. 6. tom. 3. De Occidente vide Magdeburgenſes, qui centuria 9. fol. 245. ſcribunt: *Formulam Miſſæ, qualem hoc tempore omnes pene Occidentis Eccleſiæ ad imitationem Romanæ obſeruarunt, deſcripſit Rabanus*; qui ante annos 750. Moguntinus Archiepiſcopus doctrina claruit. Refero tantum Cabilonenſem Synodum tempore Caroli Magni in Gallia habitum, in cuius cap. 39. hæc leguntur: *Nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in Miſſarum ſolemnibus fundantur. Antiquitus hunc morem igitur ſancta Eccleſia tenet.*

NEOPISTVS. Antiquitus? dic antiquiora.

THEODORVS. Tranſeo ad annos mille; & tot annis vbiq; pro ſacroſancto habitū eſſe

ſacrificium Miſſæ euidentiſſimum eſt. S. Gregoriũ Miſſas more noſtro feciſſe Lutherus quoq; fatetur tom.6. Ienenſi Germanico, fol.85. idq; conſtat certiſſimo: pro anima Iuſti Monahi curauit 30. diebus Miſſæ ſacrificium offerri, quoaduſq; per ſalutaris hoſtiæ oblationem à pœnis liberatus eſſet, lib. quarto Dialogorum, cap. 55. Mille etiam abhinc annis floruit S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, qui libro primo Officiorum, cap. vigeſimo quinto ſcribit: *Ordo Miſſæ vel Orationum, quibus oblata Deo ſacrificia conſecrantur, primum à S. Petro eſt inſtitutus, cuius celebrationem vno eodemq; modo vniuerſus peragit orbis.*

NEOPISTVS. Apud vos in ordine Miſſæ magna cernitur inæqualitas.

THEODORVS. Summa in primis conſenſio eſt quoad Miſſæ quaſi eſſentiam, quæ in verbis Chriſti, quibus Euchariſtia conficitur, conſiſtit; in ceteris vero orationibus ſimiliter idem partium præcipuarum ſeruatur ordo & diſpoſitio; ante conſecrationem præmittuntur Orationes, Epiſtola, Euangelium &c. quod verò hoc vel illud legatur Euangelium, de hoc vel illo feſto agatur; & ſi qua alia ſunt, quæ non omnes Diœceſes eodem modo ſeruant, tantam inæqualitatem non conſtituunt, quin etiam hodie recte dicamus Miſſam eodem vbiq; modo celebrari.

NEO

NEOPISTVS. Si antiquiores habes teſtes, produc; nam mille annis veſtram iam duraſſe Miſſam mihi perſuadeo.

THEODORVS. B. Felix qui ante annos 1080. Romanæ ſedi præfuit, Epiſt. prima: *ſicut non alij quam ſacrati Domino ſacerdotes debent Miſſas cantare, nec ſacrificia ſuper altare offerre; ſic nec in aliis, quam in præfatis Domino ſacratis locis Miſſas cantare aut ſacrificia offerre licebit.* S. Iſidorus Peluſiota, qui ante annos 1160. vixit, libro tertio, Epiſtola 75. ſcribit: *In nouo atq; ſucceſſionis experte teſtamento, ex ſingulari prærogatiua incruentam victimam ſacrificant; quibus illam offerre conceſſum eſt, at interim vnuſquiſque corporis ſui ſacerdos eſt.* Aduertiſne eum diſtinguere verum & proprium ſacrificium à ſacrificio late & impróprie dicto, quod vos tantũ admittitis?

NEOPISTVS. Cupio audire Ambroſij, Hieronymi, Auguſtini; in Oriente Baſilij, Gregorij Nazianzeni, & ſimilium ſententiam.

THEODORVS. S. Baſilij, S. Gregorij Nazianzeni, S. Cyrilli Alexandrini extant Liturgiæ ſeu Miſſæ ab ipſis ordinatæ, quas tibi ſuperioribus diebus legendas dedi. S. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 5. myſtago. *pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi ſunt, maximum eſſe credentes animarũ iuuamen,*

pro quibus offertur obſecratio ſancti illius & tremendi, quod in altari poſitum eſt, ſacrificij. S. Chryſoſtomus homil. 24. in 1. Epiſtolam ad Corinth. *Pro victimarum & pecorum cæde ſe ipſum offerendum præcepit.* Et Homil. 3. in Epiſtolam ad Philip. *Non fruſtra ab Apoſtolis ſancitum eſt, vt in celebratione venerandorum myſteriorum memoria fiat eorum, qui hinc diſceſſerunt: nouerunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum vtilitatis. Stante ſiquidem vniuerſo populo, manus in cœlos extendente, cætu item ſacerdotali, verendoq́ue poſito ſacrificio, quomodo Deum non placaremus?* &c. De S. Auguſtino ſcribit eius diſcipulus Poſſidius: *obdormiuit in pace, & nobis coram poſitis pro eius corporis depoſitione commendanda ſacrificium Deo oblatum eſt.* Ipſe vero Auguſtinus epiſt. 23. ſcribit: *Nonne ſemel Chriſtus immolatus eſt in ſeipſo, & tamen in ſacramento non ſolum per omnes Paſchæ ſolemnitates, ſed omni die populis immolatur.* Et lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 20. *Huic ſummo veroq́ue ſacrificio cuncta ſacrificia falſa ceſſerunt.*

NEOPISTVS. De matre S. Auguſtini narrauit neſcio quis, eam à filio petiuiſſe, vt pro ipſa poſt eius mortem Miſſa fieret.

THEODORVS. Vera narrauit, id enim refert ipſe Auguſtinus lib. 9. Confeſſionum, cap. 13. *Illa* (S. Monica) *imminente die reſolutionis ſuæ non cogitauit ſuum corpus ſumtuoſe contegi*

tegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupiuit, aut curauit ſepulchrum patrium; non iſta mandauit nobis, ſed tantummodo memoriam ſui ad altare tuum (cum Deo loquitur) *fieri deſiderauit, cui nullius diei prætermiſſione ſeruierat, vnde ſciret diſpenſari victimã ſanctam, qua deletum eſt chirographum, quod erat contrarium nobis.*

NEOPISTVS. Magna eſt apud me Auguſtini auctoritas.

THEODORVS. Et apud ipſum Auguſtinum magna eſt Hieronymi, & Ambroſij auctoritas, quos audi. Scies ſub altaribus noſtris reponi Sanctorum reliquias, quarum venerationẽ inſectatus eſt Vigilantius antiquus hæreticus, quem ad abſurdum deducit his verbis S. Hieronymus: *male facit ergo Romanus Epiſcopus, qui ſuper mortuorum hominum Petri & Pauli oſſa veneranda, ſecundum te vilem puluiſculum offert Domino ſacrificia, & tumulos eorum arbitratur altaria? idq; non ſolum vnius vrbis, ſed totius orbis faciunt Epiſcopi*, &c. Sub altari à ſe inuenta Diuorum Geruaſij & Protaſij corpora depoſuit S. Ambroſius, qui de ijs ad ſororem ſcribit, epiſt. 85. *quia ipſe martyr eſſe nequeo, hos vobis martyres acquiſiui; ſuccedant victimæ triumphales in locum vbi Chriſtus hoſtia eſt: ſed ille ſuper altare, qui pro omnibus paſſus eſt; iſti ſub altari, qui illius redemti ſunt*

 paſſio-

paſſione. Hunc ego locum prædeſtinaueram mihi: Dignum eſt enim vt ibi requieſcat ſacerdos, vbi offerre conſueuit &c. Et Epiſtola 33. *Miſſam facere cœpi; dum offero &c.*

NEOPISTVS. Miſſam ego antiquis patribus ignotam, & ipſum nomẽ recens fictũ credebam, cuius nominis vim necdum intelligo.

THEODORVS. Quidam id nomen hebræam habere originem putant; ſed latinum eſt; nam vt remiſſa S. Cypriano, & alijs idem eſt quod remiſſio; ita idem ſunt miſſa & miſſio, ſeu dimiſſio; ſic autem cœptum eſt appellari ſacrificium, quod cum inchoarentur ſacratiora myſteria, catechumeni foras mitterentur; & in eorundem myſteriorum fine fideles his verbis dimittebantur: Ite Miſſa eſt; ab hac ergo vel illa, vel potius vtraque dimiſſione, actio tota ſacrificij dicitur Miſſa; & ſic non ab Ambroſio primum, ſed multo ante appellatur in antiquiſſimorum Pontificum & Martyrum Epiſtolis, S. Felicis I. Epiſtola ſecunda, S. Teleſphori epiſtola prima, & S. Alexandri epiſtola prima, qui ante annos 1480. Romæ ſedit, & Apoſtolos forte vidit. Huius etiam ſacrificij meminerunt S. Dionyſius cap. tertio, de Eccleſi. Hierarchia; & S. Ignatius Epiſt. ad Smyrnenſes Apoſtolorum diſcipuli.

NEOPISTVS. Reſtat vt doceas quid ipſi Apoſto-

Digitized by Google

Apoſtoli, & Chriſtus Dominus docuerit.

THEODORVS. Noſti D. Auguſtini regulam lib. quarto contra Donatiſtas, cap. 24. *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt; non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur. In Eccleſiam enim tanquam in diues depoſitorium*, inquit Irenæus libro tertio capite quarto, *Apoſtoli pleniſſime contulerunt omnia.*

NEOPISTVS. Vis ergo, vt ſoli Eccleſiæ traditioni credam ſine Scripturis?

THEODORVS. Et ſoli illi ſecuriſſime crederes, licet Scripturarum nullum haberes teſtimonium; nec ſine Scripturis crederes, *quarum à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat auctoritas.* Ita S. Auguſtinus cap. 33. contra Creſconium. Sed accipe Scripturas. De ſacrificio hoc prophetauit Pſalmiſta, cum de Chriſto canit: *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, Pſalmo 109. Melchiſedech enim, qui vt Geneſis 14. legimus, ſacerdos erat, obtulit panem & vinum, cui ſacrificio quoad externam ſpeciem, & quia incruentum fuit, ſimile eſt ſacrificium in vltima cœna à Chriſto inſtitutũ, quodq; in æternum durabit; id eſt, cui nõ ſuccedet aliud, ſed perpetuabitur vſq; dũ prope ſit dies Domini, ac mundi iudicium.

NEOPISTVS. Melchiſedech obtulit ſubſtantiam panis & vini, quæ vos abeſſe dicitis in ſacrificio Chriſti.

THEODORVS. Non abſunt ante ſacrificium, ſed ipſa ſacrificandi actione immutantur; deinde nemo noſtrum dicit idem eſſe ſacrificium Melchiſedeci & Chriſti; ſed ſacrificium Melchiſedech, typus & figura erat Chriſti ſacrificij, illudq; ſimilitudine quadam referebat, quæ ſimilitudo apparet etiam in ſpeciebus iam conſecratis, quæ externâ formâ panis & vinum ſunt.

NEOPISTVS. Accidentia non ſpectant ad veſtrum ſacrificium, in quo dicitis Chriſtũ offerri.

THEODORVS. Imo vero ad ſubſtantiam ſacrificij pertinent accidentia panis & vini, ſub & cum quibus Chriſtus offertur, alioquin non haberemus viſibile ſacrificium.

NEOPISTVS. B. Dauid de Chriſto loquitur, quod tu ad omnes trahis.

THEODORVS. Sacerdotes noſtri in perſona Chriſti ſummi ſacerdotis ſacrificant; qui proinde principaliter ſacrificat, ſed per miniſtros ſuos; per quos etiam baptizat; vnde ſicut de illo legimus Ioan, 1, *Hic eſt qui baptizat*; ita veriſſime dicimus: Hic eſt qui ſacrificat.

NEOPISTVS. Quidem negant Mechiſedech panem & vinum ſacrificaſſe.

THEO-

THEODORVS. Scio negare Lutherum, Caluinum, & alios hæreticos; ex antiquis & SS. Patrib⁹ negat nemo; quin id Melchiſedeci ſacrificium typum fuiſſe noſtri ſacrificij expreſſe tradunt S. Cyprianus, epiſt. 63. S. Ambroſius lib. 5. de Sacramentis, cap. 1. & alij. Audi Euſebium, quem contra Miſſæ ſacrificium ſæpius producunt tui, is lib. 5. de demonſtrat. Euang. cap. 3. ſcribit; *Et ſane oraculi exitus admirabilis ei, qui contempletur, quemadmodum Saluator noſter IESVS, qui eſt Chriſtus Dei, ipſius Melchiſedech ritu, ea quæ ad ſacerdotium in hominibus gerendum ſpectant, per ſuos miniſtros perficiat. Nam quemadmodum ille qui ſacerdos gentium erat, nusquam videtur ſacrificiis corporalibus functus; ſed vino ſolo, & pane, dum ipſi Abraham benedicit: ita ſane primus ipſe Saluator, ac Dominus noſter: deinde qui ab eo profecti ſunt ſacerdotes, in omnibus gentibus ſpirituale ſecundum Eccleſiaſticas ſanctiones ſacerdotij munus obeuntes, vino ac pane, & corporis illius & ſalutaris ſanguinis myſteria repræſentant.* E latinis Patribus vnius Auguſtini verba refero lib. 16. de ciuitate Dei, cap. 22. *Cum Melchiſedech Abrahæ benediceret, ibi primum apparuit ſacrificium, quod nunc à Chriſtianis offertur toto orbe terrarum; impleturq́ illud, quod longe poſt hoc factum per prophetam dicitur ad Chriſtum, qui fuerat adhuc venturus in carne: Tu es ſacerdos in æ-*

ternum ſecundum ordinem Melchiſedech.

NEOPISTVS. Neſcio an aliam pro te ſcripturam habeas.

THEODORVS. Elegantiſſimam Malachiæ prophetiam, vbi prædicitur abrogatio veterum ſacrificiorũ, quibus ſucceſſurum ſit aliud longe præſtantius: *Non eſt mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum* (Iudæis) *& munus non ſuſcipiã de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis vſq; ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.*

NEOPISTVS. Intelligi poteſt propheta de improprio ſacrificio ſpiritus contriti, laudis, & bonorum operum.

THEODORVS. Noſti ſenſuum fœcundam eſſe Scripturam, eam licebit ad impropria hæc ſacrificia accommodare, ſi agnoſcas principem ſenſum eſſe de proprio Euchariſtiæ ſacrificio, de quo Malachiam interpretantur Apoſtolorum diſcipulus S. Martialis epiſtola ad Burdegalenſes, S. Iuſtinus Dialogo cum Tryphone, S. Irenæus lib. quarto capite triceſimo ſecundo, qui ante 1400. & plures annos pro CHRISTO mortem paſſi ſunt; quibus conſentiunt ceteri Patres.

NEOPISTVS. Cuperem ex nouo teſtamento probari Miſſam.

THEO-

THEODORVS. De ſacrificio ſuo loquitur Chriſtus Ioan. 4. *Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.*

NEOPISTVS. Nulla hic ſacrificij mentio.

THEODORVS. Attende; ſacrificium eſt quædam adoratio excellentiſſima & ſoli Deo conueniens, de qua mulier Samaritana; *vos dicitis, quia Hieroſolymis eſt locus, vbi adorare oportet*, id eſt, ſacrificare; nam cetero cultu vbiq; poterat honorari Deus, ſed extra Hieruſalem Iudæis ſacrificare non licebat; de eadem ergo adoratione, id eſt, de ſacrificio reſpondet CHRISTVS tempus inſtare, quo verum ſacrificium per vetera præſignatum toto paſſim orbe offeretur. Iudæi victimas corporaliter mactabant; Chriſtiani in ſpiritu, id eſt, ſpirituali benedictione mundiſſimum ſacrificium conficiunt, eoq; Deum adorant; Iudæorum ſacrificia erant typica, ſeu figuratiua CHRISTI; quem re vera præſentem continet noſtra hoſtia; vnde veri adoratores, & in veritate adorare dicimur.

NEOPISTVS. In Euchariſtiæ inſtitutione nulla fit ſacrificij mentio.

THEODORVS. Ad ſacrificiũ minime requiritur, vt quis voce proclamet: Deus offero, vel

vel ſacrifico tibi hoc; ſed ſatis eſt quod re ipſa, & vt in ſcholis loquuntur, in actu exercito ſacrificet, quod Chriſtus in vltima cœna fecit, cum panem & vinum accepit, benedixit, & in corpus ſuũ conuertit, memineris Chriſtum fuiſſe ſummum ſacerdotem, & quidem ſecundum ordinem Melchiſedech; cuius corpus & ſanguinem veram nouę legis victimam eſſe nec tu diffiteris, qui eam in cruce pro nobis oblatam credis: cum ergo de ſacerdote noſtro ſcribitur, quod panem benedixerit, & in corpus ſuum conſecrarit, an non ſatis ſignificatur nobis ſacrificium?

NEOPISTVS. Quid tu appellas proprie ſacrificium?

THEODORVS. Sacrificium eſt oblatio Deo facta, qua ad Diuinæ Maieſtatis ac noſtræ ſubiectionis proteſtationẽ res ſenſibibilis à legitimo miniſtro immutatur, & certo ritu conſecratur. Quid ex hac deſcriptione deeſt Chriſti actioni? habes ſacerdotem, habes hoſtiam, habes formam ſacrificij à Melchiſedech præfiguratam, à Dauide prædictam; de Chriſto forte dubitabis, num quod fecit & inſtituit, in Patris honorem peregerit.

NEOPISTVS. Nihil de hoc dubito; victimam requiro, quæ mactatur & occiditur; Chriſtus vero ſemel oblatus in cruce iam non moritur.

THEO-

Digitized by Google

THEODORVS. Miſſæ ſacrificium eſt ſecundum ordinem Melchiſedech, adeoq; incruentum; qualia nec Hebræis deerant ſacrificia.

NEOPISTVS. Cruenta ſacrificia ad ſupremam Dei maieſtatem proteſtandam maxime idonea erant, in quibus animalium vita offerebatur ad ſignificandum Deum eſſe vitæ mortiſq; Dominum.

THEODORVS. Perfectius multo id ſignificatur per ſacrificium Euangelicũ; in quo panis & vini deſtruitur ſubſtantia, & viuum corpus veruſq; ſanguis ſubſtituitur; quod vtiq; longe manifeſtius Diuinæ excellentiæ ſignum eſt.

NEOPISTVS. Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos ſcribit, Chriſtum ſemel oblatum, nec opus eſſe altera oblatione.

THEODORVS. Intellige cruenta, vt ipſe declarat Apoſtolus, dum infert: *alioqui oportebat eum frequenter pati ab origine mundi.* cap. 9. ad Heb.

NEOPISTVS. Sacrificium crucis pleniſſime abſtulit peccata noſtra.

THEODORVS. Quomodo ergo naſcimur in peccatis? cur Apoſtolis data poteſtas remittendi peccata? Chriſtus pro peccatis noſtris pleniſſime ſatisfecit, noſq; redemit, quoad pretij ſufficientiam; nec opus eſt alio

ſacrifi-

ſacrificio, quod crucis Chriſti defectum ſuppleat; ſicut in veteri teſtamento ob hoſtiæ inſufficientiam repeti debebant ſacrificia; ſed per Miſſæ ſacrificium nobis applicatur, quod in cruce Chriſtus meruit, quod & per ſacramenta fit; vel opera in CHRISTO facta. En ſactamenta paſſionis meritum non extenuant, ſed eius nos participes reddunt; idem accidit in ſacrificio Miſſæ., in quo hoſtia principalis eſt eadem, quæ in cruce olim fuerat oblata, cuius etiam oblationis typus & figura eſt quotidianum hoc ſacrificium.

NEOPISTVS. Ita SS. Patres loquuntur; ex quibus ſic ratiocinor: imago aut figura rei non eſt ipſa res, ſed Miſſa eſt figura ſacrificij; ergo ipſa non eſt proprie ſacrificium.

THEODORVS. Male concludis; hoc ſequitur; Miſſam non eſſe illud ipſum ſacrificium, quod repræſentat; certe vetera ſacrificia figura fuerant crucis CHRISTI, & tamen vera quoque ſacrificia fuiſſe nemo negat; an non aptius & expreſſius repræſentabitur crucis ſacrificium per Euchariſtiam, ſi ipſa quoque ſit verum ſacrificium; quam ſi toto genere à proprio ſacrificio diſſideat?

NEO-

NEOPISTVS. Intelligo quæ dixiſti, ſed quare Chriſtus inſtituerit hoc ſacrificium explica.

THEODORVS. Quis DEI ſcrutetur conſilia? vnam tamen cauſam iam audiuiſti; nam ſacrificium crucis decebat perfectius nobis repræſentari, quam Hebræis; ſi his ergo repræſentabatur per verum ſacrificium, cur non & nobis. Item ſacrificium eſt perfectiſſimus DEI cultus, qui proinde exulare non debebat à lege Euangelica; vbi nullum ſacrificium, ibi nec proprie eſt altare, vel ſacerdotium; quis autem credat in CHRISTI Eccleſia nullos veros Epiſcopos & ſacerdotes eſſe; præſertim cum ſacerdotij tam exacta fuerit habita ratio in veteri lege, in qua omnia contingebant in figura. Hæc cogita, & ſimul totius Eccleſiæ conſenſum & praxin, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.

NEOPISTVS. Miror in Actis Apoſtolicis non fieri mentionem Miſſæ.

THEODORVS. Apoſtolos ſacrificaſſe conſtat ex Actis eorum; lege paſſionem S. Andreæ, in manibus eſt S. Iacobi Liturgia, ſic Græci Miſſam vocant.

NEOPISTVS. Ego loquor de Actibus canonicis.

THEO-

THEODORVS. Nullane ceterorum fides erit, licet in libris Canonicis non numerentur? ſed accipe ex D. Luca ſacrificij vſum, cap. 13. Actuum; *Miniſtrantibus illis Domino*, λειτουργούντων, id eſt, cum ſacrificarent.

NEOPISTVS. Miniſtrare hoc loco idem eſt quod concionari.

THEODORVS. Sic quidem viſum eſt nonnullis etiam catholicis interpretibus; ſed vt aduerterunt alij, vox Græca rectius exponitur ſacrificare, ſicut Eraſmus etiam vertit, qui Catholicis fauere nihil ſtuduit.

NEOPISTVS. Longe aliter de Miſſa ſentio quam antea; video tot ſeculorum in Eccleſia praxin ſcripturis conſentaneam; & mecum perpendo, ſi nouo omnino more hoc ſacrificium per errorem eſſet introductum, facile fore vt de auctore erroris conſtaret.

THEODORVS. Recte dicis; *Chriſtianus animus*, ait S. Chryſologus ſermone 85. *quæ ſunt traditione Patrum, & ipſis roborata temporibus, neſcit in diſputationem deducere, ſed venerari ea toto deſiderat deuotionis eloquio.* Sacrificium præcipua Religionis pars eſt, & in oculis omniũ agitur; quis ergo credat poſt Apoſtolos & veterem Eccleſiam inuentũ eſſe, nec ſciri à quo, quo tempore, quo loco, in Oriente ne, vel Occidente inceperit?

NEOPISTVS. Mihi non occurrit, qui ante noſtra

noſtra tempora Miſſis ſe oppoſuerit.

THEODORVS. Poſterioribus ſeculis Miſſæ ſacrificiũ ſpreuerunt Bogomilli, Pſeudoapoſtoli,Lollardi.

NEOPISTVS. Tace fæces iſtas.

THEODORVS. Quid? Noſtro ſeculo ipſe diabolus Miſſam oppugnare docuit Lutherum; & tamen illi creditur.

NEOPISTVS. Legi aliquando hanc diaboli cum Luthero diſputationem; quæ me tunc valde turbauerat; ſed cum ſecundo legere cuperem,non potui inuenire.

THEODORVS. Inuenies in tomis Lutheri,in tomo 6. Ienenſi Germanico, fol. 83. & latine habes in tomo 7. VVittebergenſi, fol. 228. Quid infidelius,quam Diabolo credere, & ob antiqui ſerpentis ſibila negare ſacrificium à tota vbiq; Eccleſia frequentatum, ac tot à Deo miraculis honoratum?

NEOPISTVS. Certus ſum me ad Catholicos tranſiturum; tu quoniam miraculorum meminiſti,vnum vel alterum è probatis mihi narra auctoribus.

THEODORVS. S.Auguſtinus lib. 22. de ciuitate Dei,cap.8.ſcribit; *Vir Tribunitius Heſperius,qui apud nos eſt, habet in territorio Fuſſalenſi fundum Zabedi appellatum, vbi cum afflictione animalium & ſeruorum ſuorum, domum ſuam ſpirituum malignorum vim noxiam perpeti*

comperiſſet, rogauit noſtros me abſente presbyteros, vt aliquis illorum illo pergeret, cuius orationibus cederent, perrexit vnus, obtulit ibi ſacrificium corporis Chriſti, orans quantum potuit, vt ceſſaret illa vexatio, Deoq́ protinus miſerante ceſſauit. De S. Agapeto Romano Pontifice ſcribit S. Gregorius lib. 3. Dialogorum cap. 3. *Cum ei curandus oblatus eſſet mutus & claudus, venerandus vir orationi incubuit, & Miſſarum ſolemnia exorſus, ſacrificiũ in conſpectu Dei omnipotentis immolauit, quo peracto ab altari exiens, claudi manum tenuit, atq; aſſiſtente & aſpiciente populo, eum mox à terra in propriis greſſibus erexit; cumq́ ei Dominicum corpus in os mitteret, illa diu muta ad loquendum lingua ſoluta eſt, mirati omnes, flere præ gaudio cœperunt, eorumq; mentes illico metus & reuerentia inuaſit.*

NEOPISTVS. Peruadit me quoq; mixtus gaudio neſcio quis timor, & admiratio.

THEODORVS. Audi quid S. Gregorius Turonenſis Epiſcopus, qui mille ante annis floruit, de S. Sigiſmũdo narret in libro de gloria Martyrum, cap. 75. *Captus* (B. Sigiſmundus) *à Chlodomere rege cum filiis, interfectusq; eius iuſſu, ad eundem locum delatus, ſepulturæ mandatus eſt, quẽ in conſortio Sanctorũ aſcitũ ipſa res quæ geritur, manifeſtat. Nam ſi qui nunc frigoritici in eius honore Miſſas deuote celebrent, eiuſq; pro requie Deo offerant oblationem, ſtatim compreſſis*

treme-

tremoribus, reſtinctis febribus, ſanitati priſtinæ reſtaurantur.

NEOPISTVS. Nō dubito de fide Gregorij; ſed nō intelligo, cur pro requie Sigiſmundi oblatū ſit ſacrificiū, ſi iam cœleſti gloria fruebatur.

THEODORVS. Hæc ipſa gloria dicitur requies, pro qua ſancto viro cōceſſa Deo in laudē & gratiarū actionē ſacrificiū offerebatur.

NEOPISTVS. Aliud mihi mouiſti dubium. Deo ſacrificatur, & ſoli Deo; quomodo ergo in Sanctorum honorem Miſſæ fiunt?

THEODORVS. Vni Deo, nec vlli alij offertur ſacrificium; quod tamen in Sanctorum honorem fieri dicitur, cum eorum memoria ſacrificij tempore celebratur; qui magnus cœlitum honor eſt. Audi S. Chryſoſtomum homilia 21. in Acta: *Quid putas pro Martyribus offerri, quod vocantur in illa hora?* tempore Miſſæ. *Licet Martyres ſint, etiam pro Martyribus magnus honor nominari Domino præſente, dum mors illa peragitur, & horrendum ſacrificium, & ineffabilia ſacramenta.*

NEOPISTVS. Intelligo, num aliud tibi occurrit, quod recenſeas miraculum?

THEODORVS. Ionas, qui 900. abhinc annis vixit, de S. Vulfranno Senonenſi Archiepiſcopo, & Friſiorum Apoſtolo ſcribit: *Fratres, qui eum familiariter noverunt, & coram quibus patratum eſt, dicere ſolent, & maxime vir Reueren-*

uerendiſſimus Vuando, tunc temporis diaconus & cooperator in verbo Dei eiuſdē præſulis, poſtea autem presbyter, & ſuccedenti tempore eiusdem monaſterij Fontanellenſis Abbas, in quo educatus fuerat. Dum enim nauigaremus, inquit, in Friſiam, poſitis nobis in medio mari, quod adiacet regioni Morinorum, affuit hora, in qua ſacrificium Deo victimæ ſalutaris immolandum erat. Tunc poſitis anchoris, nauis immobilis permanebat. Et celebrante eodem ſancto Pontifice Miſſarum ſolemnia, ventum eſt ad locum, vbi miniſter patenam Præſuli porrigere debuit: extenſaq; manu, expectabat horam, qua ſuſciperet eam. Sed dum miniſter eam abluere vellet, in mare cecidit: proſtratuſque pedibus ſancti Pontificis, humiliter veniam precabatur dicens, quia dum eam abluere voluiſſet ſuis manibus, in maris elapſa profunda, ima petiſſet. Moxq; idem vir Dei flectens genua ſua ad patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, precabatur eius clementiam, qui quondam coram patribus in mari rubro fecerat mirabilia, propitius ſuis adeſſet precibus. Finita vero oratione, imperat diacono, vt in eum, in quem patena ceciderat, locum mitteret manum. Quo facto, mox ab imo maris eadem patena diuinitus reuecta, eiuſdem miniſtri manui inhæſit. Quod videntes nautæ, ceteriq; nauis comites, Dominum cunctipotentem totis viſcerum præcordiis collaudauerunt, qui per ſeruum ſuum tale dignatus eſt operari

rari miraculum, ſicque commixtionem corporis & ſanguinis idem ſanctus præſul faciens, nomenq; Saluatoris glorificans ſacroſancta Miſſarũ ſolemnia compleuit.

NEOPISTVS. Quam libenter hæc audio.

THEODORVS. Addo vnum adhuc mirum: In bello occubuerat iuuenis nomine Imma, qui cum die & nocte inter cadauera occiſorum iacuiſſet, tandem recepto ſpiritu reuixit; & poſtea ab hoſtib⁹ captus nullis vinculis ligari potuit; habebat enim fratrem Abbatem, qui pro eo tanquã mortuo ſæpius Miſſas facere curauit: & cognitum eſt, quod ea ipſa hora ſolita ſint ſolui vincula, qua Miſſæ fiebant. Sed & alia, quæ periclitanti proſpera contigiſſent intellexit ille per interceſſionem fratris, & oblationem hoſtiæ ſalutaris cœlitus ſibi fuiſſe donata. Rem ſuo tempore geſtam narrat pluribus venerabilis Beda lib. 4. hiſto. Gentis Anglorum. cap. 22.

NEOPISTVS. Quod promiſi, præſto; Catholicus ſum; & nec nomen quod Caluiniani indiderunt, retinere cogito, tu ſuggere aliud, quod aſſumam.

THEODORVS. Fides, cuius iam lumine incaluiſti, ſingulare Dei Donum eſt, à quo te Dorotheum compello; DEI dona vterq; vt nomine, ſic memori ſemper mente prædicabimus.

Laus Deo, & Virgini Deiparæ.

Digitized by Google

ERRATA.

Pagina 4. verſu vltimo lege ; καινὴ. Pag. 5. ver. 11. dele ; *Theodorus*. Pag. 12. v. 23. lege ; *ego*, Pag. 14. v. 3. *ſpiritalem*. Pag. 24. v. 22. *quem*. Pag. 31. v. 4. experimento : v. 8. in terris. Pag. 39. v. 18. *ſignificatur*. Pag. 40. v. 21. *credis*. Pag. 48. v. 2. *paſtus efficit*. Pag. 49. v. 3. *dulcedinem*. Pag. 72. v. 14. ϖεϱϊὼν. Pag. 79. v. 4. *digniori*. Pag. 99. v. vlti. *Principes*.

VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google